DOCTRINA DE PRÆDESTINATIONE.

Eſt ne doctrina de prædeſtinatione, neceſſaria doctrina?

Omninò. Deus enim ipſe doctrinam hanc tradidit, & quos prædeſtinauit, eos vocauit. Ad confirmationem igitur articuli noſtri de iuſtificatione gratuita, & ad veram conſolationem conſcientiarum, & ad ſtudium pietatis, patientiæ, & conſtantiæ, hæc doctrina oſtendens æternam Dei erga nos εὐδοκίαν, maximè neceſſaria eſt.

Eſt ne etiam vtilis hæc doctrina?

Vtiliſsima & conſolationis pleniſsima eſt credentibus, qui innituntur huic dicto: Sic DEVS dilexit mundum. Venite ad me omnes, qui laboratis. Hic eſt Filius meus dilectus, hunc audite. Qui credit in Filium, habet vitam æternam, &c. Pernicioſiſsima autem eſt infidelibus, & ijs, qui ſine Chriſto, & extra Chriſtum de prædeſtinatione diſputant. Qui enim non credit in Filium, manet ira Dei ſuper eum. Rectè igitur dici ſolet, doctrinam prædeſtinationis ſimilem eſſe ferreo cultro, qui licet magnum vſum habeat, non tamen conuenit imprudentibus pueris, nec furioſis & malis hominibus, ſed adultis, qui eo rectè vti ſciunt, & pijs ſeu credentibus in Chriſtum.

Vndè ordienda eſt doctrina hæc?

Non aſcendendum eſt in cœlum, & excurrendum cum ſtatu huius doctrinæ, extra fundamenta mundi in æternum Trinitatis conſilium, nec indulgendum eſt ſpeculationi priuatæ, & inquiſitioni ordinis cauſarum ab æterno, ſed incipiendum eſt à præſepi Chriſti filij Dei, qui homo factus eſt, & deſcendit de cœlis propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, ac carne ſua paſſus, crucifixus & mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtitiam noſtram, aſcenditq́ue victor & triumphator ad cœlos, excelſior factus cœlis, ſupra omnes cœlos eleuatus, & ſedet carne ſua ad dexteram Patris æterni & omnipotentis, & dat nobis dona, & monſtrat nobis omnia bona, & deducit nos ad agnitionem propitiæ voluntatis Dei erga nos. Hoc modo à præſepi Chriſti ordimur, & peruenimus ad dexteram Dei, ad quam Chriſtus carne ſua humana euectus eſt. Nunc igitur de prædeſtinatione ex reuelata Dei voluntate in doctrina Euangelij de Chriſto, rectè iudicare poſſumus. Quicunq; credunt in Filium, ij ſunt prædeſtinati, id eſt, habent vitam æternam. Hæc vox Euangelij eſt, à qua ordiendum, in qua acquieſcendum & perſeuerandum eſt vſq; ad mortem, ſeu vſq; ad exinanitionem noſtram, è qua erepti ad gloriam & vitam cœleſtem, ſecundùm Chriſti dictum: Volo vt vbi ego ſum, ſint & illi, quos tu Pater mihi dediſti, poterimus integrè, perfectè, ſolidè, & ſine vlteriore diſquiſitione de æternis & arcanis conſilijs, & ordine cauſarum, diſſerere, colloqui, & certi eſſe. Nunc ſatis eſt, nos reuelatæ voluntati DEI in verbo & vſu ſacramentorum firmiter inniti, quam ſcimus eandem eſſe, quæ eſt æterna, arcana, & abſcondita ſapientibus mundi. Matth. 11. Ioh. 17.

Eſt ne eadem doctrina de prædeſtinatione ad vitam æternam, & de iuſtificatione hominis coram Deo?

Digitized by Google

Omninò eſt. Nulla enim eſt alia prædeſtinationis cauſa, quàm quæ eſt iuſtificationis. Ideò Paulus ex doctrina prædeſtinationis, doctrinam gratuitæ iuſtificationis probat. Hîc nullum eſt diſcrimen, præterquam quod prædeſtinatio æternam voluntatem κατ᾽ εὐδοκίαν ignotam omni creaturæ: iuſtificationis autem doctrina reuelationem illius æternæ & arcanæ voluntatis per Filium factam concernit.

Poteſt ne in hac vita aliquid cogitari aut dici de ordine æterno cauſarum, quem Deus ab æterno ſibi propoſitum habuerit in eligendis, & reprobandis hominibus?

Si Chriſtus & verbum Chriſti in corde & ore, ſemperq́ in conſpectu eſt, tunc tutò & ſine periculo de ordine cauſarum diſſeri poteſt, hoc modo ſecundùm ſcripturam, nempe, quòd Deus propoſito ſuo æterno & ineffabili voluerit ex æterna ſua bonitate patefacere ſuam gloriam, ideoq́ facto decreto in conſilio æternæ Trinitatis, genus humanum condiderit ad ſuam imaginem, iuſtitiam, & ſanctitatem, ita, vt illud tale eſſet & maneret in perpetuum, vt viueret ſine aduerſitate in æternum. Deindè cùm Deus præuideret (cui nihil ignotum aut non præſens eſſe poteſt, etiamſi futurum, & nondum factum ſit) malitiam Satanæ inſurgentis aduerſus Deum, & corrumpentis humanum genus, ſeſe & poſteros ſuos omnes iudicio Dei obnoxios redditurum, ſuo æterno, peculiari, arcano, diuino, & imperſcrutabili conſilio noluit ſtatim auertere hoſtis ſui malitiam, & hominum lapſum & reatum, ſed reliquit Satanam ſuæ malitiæ, & hac ferri ipſum ſiuit, tanquam omnipotens Dominus, ſpectator eorum, quæ ſceleratus & nullipotens hoſtis molitur, nec ſe ſtatim hoſti opponens, ſed ſciens, quando & quomodo ad gloriam ſui nominis nefarium hoſtem conſtringere & ad nihilum redigere debeat, poſſit, & velit. Conſilio igitur habito cum æterno Logo Filio, & Spiritu ſancto hoſtem deſtinauit æterno exitio: Filij autem, propter & per quem omnia facta ſunt, ceu vnici mediatoris intuitu motus noluit vniuerſum genus humanum perire, ſed voluit, vt Filius caro fieret, & ſecundùm carnem prædeſtinaretur ad innocentiam, mundiciem, integritatem, ſanctimoniam, iuſtitiam perfectam, vitam, ſalutem, lætitiam, & gloriam æternam, & ſimul ad λύτρον, & reconciliationem hominum cum Deo, ita, vt ex plenitudine ipſius acciperent omnes in eum credentes, & prædeſtinarentur in ipſo ad vitam æternam, quoſcunq; Deus in ipſo intueretur, econtra reijcerentur & damnarentur omnes, qui extra Chriſtum eſſent, id eſt, ſine fide in Chriſtum. Hanc voluntatem ſuam arcanam patefecit Deus per Filium, qui eſt in ſinu Patris, & media conſtituit, per quæ fides in Chriſtum, effectore & motore Spiritu ſancto, accenderetur & confirmaretur. Eccleſiam igitur viſibilem, & vniuerſo generi humano conſpicuam & patentem colligere & ſeruare decreuit, in qua vocem ſuam audiri vult, quæ eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus, hunc audite.* Hunc audientes, & media, nempe verbum Euangelij, & vſum ſacramentorum non aſpernantes, non negligentes, non paruifacientes, nec rebus caducis & terrenis poſtponentes, ſed humiliter diſcentes, audientes, & magni æſtimantes, donare vult vera fide in Chriſtum, Spiritu ſancto, & ſalute æterna, ac nullum, cui media illa à Deo propoſita, curæ & cordi ſunt, deſerit, ſed aperit ei ſcripturam & cor, & vult eum eſſe in numero præordinatorum ad vitam æternam, id eſt, iuſtificatorum per fidem in CHRISTVM. Cæteros autem, qui media aſpernantur, aut nauci faciunt, & pietati Chriſtianæ non ſtudent, pronunciat infideles, impœnitentes, induratos, impios, abiectos, vaſa iræ aptata ad interitum, non DEI, ſed ipſorum propria culpa.

Tantum ex ſcriptura de cauſarum ordine dicere poſſumus, & debemus in do-

in doctrina de prædeſtinatione. Quæ autem maiora his afferuntur, ea non ſunt noſtræ in hac vita inquiſitionis, ſed ad æternam Academiam pertinent. Satis eſt nos ſcire, quomodo iuſtificemur coram Deo, abſoluamur à peccatis, adoptemur in filios, id eſt, prædeſtinati & electi ſimus ad vitam & ſalutem æternam.

Quæ regulæ ſunt tenendæ in doctrina de prædeſtinatione? Decem.

Prima: Non ratio humana, non philoſophia, ſed ſolius DEI verbum debet eſſe norma iudicij & ſententiæ de prædeſtinatione. Extra verbum Dei nihil de Deo, aut voluntate eius ſtatuendum eſt.

Secunda: Promiſsio gratiæ eſt vniuerſalis, pertinens ad omnes populos, gentes & homines pœnitentes, & in Chriſtum credentes, ſecundùm ordinem ab ipſo Deo inſtitutum, ac ſonat in Eccleſia viſibili tanquam in eminente cathedra, cuius auditores eſſe debent omnes & ſinguli homines, & extra quam non eſt ſalus.

Tertia: Apud DEVM non eſt προσωποληψία, reſpectus perſonarum. Deut. 10. Act. 10. Eſa. 20. Rom. 4.

Quarta: In Deo non ſunt contradictoriæ voluntates. Et reuelata voluntas non eſt alia, quàm quæ eſt æterna Dei voluntas.

Quinta: Gratia in Chriſto nobis patefacta & exhibita exuberat ſupra peccatum.

Sexta: Sicut in Adamo terreſtri omnes ceciderunt, ita in Adamo cœleſti, qui eſt CHRISTVS, omnes reſurgunt, & in reſurrectione vniuerſali impetrata à ſolo Chriſto, reſurgent credentes ad vitam, reliqui ad damnationem æternam. Vt enim promiſsio gratiæ eſt vniuerſalis, ita & reſurrectio vniuerſalis eſt, id eſt, ad omnes pertinet, hoc ſaltem diſcrimine, quòd multi gratiam reſpuunt, ideoq; ad damnationem reſurgent, credentes verò ex gratia ad vitam ſuſcitabuntur.

Septima: Deus non eſt cauſa vel peccati, vel exitij hominum, & neminem ſua voluntate prædeſtinat ad damnationem. Viuo enim ego, inquit, nolo mortem peccatoris.

Octaua: Doctrina de prædeſtinatione fit plana, certa, & explicata per doctrinam de gratuita iuſtificatione hominis coram DEO. Et non eſt alia cauſa prædeſtinationis, quàm quæ eſt iuſtificationis.

Nona: Qui perit, is ſua culpa perit: & qui ſeruatur, is ex mera gratia & bonitate propter Chriſtum ſeruatur.

Decima: DEVS vt neminem ſeruat abſque medijs, quæ ipſe propoſuit, verbo ſcilicet & vſu ſacramentorum, ſeu extra Eccleſiam Chriſti ſine conuerſione ad Chriſtum: ita neminem damnat, cui media illa ad Chriſtum ducentia curæ & cordi ſunt. Qui audit & diſcit à Patre, is venit ad me, inquit Chriſtus. Et qui venit ad me, eum non eijciam foras. Ioh. 6.

Quæ ſunt præcipua vocabula, quorum vſus eſt in hac doctrina?

πρόθεσις, πρόγνωσις, προορισμὸς ἢ ἐκλογή. Propoſitum, præſcientia, prædeſtinatio ſeu electio, liber vitæ, reprobatio, &c.

πρόθεσις ſeu propoſitum eſt Dei æternum & immutabile decretum & beneplacitum de ſaluandis hominibus ſecundùm ordinem à ſe inſtitutum.

πρόγνωσις eſt præſcitio ſeu prænotio ſaluandorum, quos DEVS nouit, vocat, curat, cuſtodit, & ſeruat, conſcius omnium rerum. 1. Tim. 2. Nouit, qui ſint ſui: Et econtra, eſt etiam præuiſio malorum, impiorum, & damnandorum.

προορισμὸς eſt prædefinitio, deſignatio, & ordinatio, qua DEVS ſecundùm

dùm πρόθεσιν καὶ εὐδοκίαν ſeu conſilium voluntatis ſuæ, æternam eccleſiam ſibi elegit in filio ſuo, & eam per miniſterium verbi & ſacramentorum vocat, & colligit, & in ea, merito & efficacia Chriſti ſeruatoris donat omnibus credentibus in Chriſtum iuſtitiam, remittit peccata, dat Spiritum ſanctum & vitam æternam, ex mera gratia & bonitate.

Liber vitæ eſt ipſe Chriſtus, cui per fidem inſerimur, & inſcribimur. Loquitur enim ſcriptura ἀνθρωποπαθῶς de DEO habente librum, in quo electorum ſuorum nomina deſcripſerit, quibus vitam æternam dare velit. Philip. 4. Ezech. 13. Scriptura domus Iſraël, & arcanum Domini. Eſtque hæc appellatio libri vitæ iucundiſsima, & certitudinem ſalutis credentium in Chriſtum exprimit. Omnes enim, de quorum fide & ſalute non dubitatur, in libro vitæ ſcripti dicuntur.

Reprobatio eſt reiectio impiorum à vita æterna, qui Euangelium Chriſti in fide promiſſæ gratuitæ miſericordiæ diuinæ non amplectuntur, ſecundùm dictum: Qui non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira DEI manet ſuper eum.

πρόνοια prouidentia, eſt generale vocabulum de vniuerſali gubernatione Dei, qua DEVS ſingulis creaturis adeſt, & eas gubernat & moderatur pro ſua immenſa ſapientia, bonitate, & iuſtitia.

Prædeſtinat ne Deus etiam malos ad malum cùm culpa, tùm pœna.

Prædeſtinationis vox vſurpatur in ſcriptura tantum de opere redemtionis & ſaluationis generis humani. Nefas enim eſt dicere, inquit Auguſtinus, Deum aliquid, niſi bonum prædeſtinare. Mala quidem præſcit Deus, ſed non prædeſtinat, at bona & præſcit & prædeſtinat. Et Fulgentius, Sicut inquit, in Deo peccatum non eſt: ita peccatum ex eo non eſt: quod autem nunquam eſt in opere eius, nunquam fuit in prædeſtinatione eius. Neminem ergò Deus prædeſtinat ad peccandum, quia Deus nec vult, nec approbat peccatum, ſed odit & punit, vt ſcriptum eſt: Non Deus volens iniquitatem tu es. Et: DEVS abſque vlla iniquitate, iuſtus & rectus. Item: Quidquid eſt in mundo, cupiditas carnis, & cupiditas oculorum, & faſtus vitæ, non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Et etiam ab ethnicis ſanis rectè dictum eſt, impiam, nefandam, & nuſquam & nunquam ferendam vocem eſſe, quæ Deum faciat autorem peccati. Quòd autem Deus etiam pœnam & exitium hominis, ſuæ abſolutæ voluntatis propoſito & decreto non velit, teſtatur ipſius Dei iuramentum: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Deus enim non eſt tyrannus, ſed concedit nobis peccatoribus ſpatium pœnitentiæ, & nobiſcum agit, perindè ac pater cum liberis & familia. Impios autem non agentes pœnitentiam abijcit, & ipſorum malitiam æterna morte, ipſorummet culpa, punit.

Psal. 5. Deut. 32. 1. Ioh. 2.

Obiectio.

Act. 2. inquit Petrus: τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ definito conſilio, καὶ προγνώσει & præſcientia DEI Ieſum traditum acceperunt Iudæi, & interemerunt. Et Act. 4. Fecerunt, quæcunque manus Dei, & conſilium Dei προώρισε prædefiniuit ſeu prædeſtinauit, vt fierent.

Ergò etiam de reproborum ſceleribus prædeſtinationis vox vſurpatur.

Reſpondeo. Petrus non loquitur de impia Iudæorum mente, voluntate, & actione, quaſi hæc à Deo ita decreta ſit, ſed in priori dicto affirmat mirando & inenarrabili temperamento iuſtitiæ & miſericordiæ à DEO decretum eſſe, vt Filius fieret victima pro nobis, quem etiam Pater tradiderit in mortem temporalem, vt ille nobis impetraret vitam æternam. In poſteriori dicto oſtendit, Principes & populos ſua inſania aduerſus Chriſtum nihil potuiſſe

Digitized by Google

[illegible] amplius, niſi vt ea implerent, quæ à Deo ad ſalutem generis humani decreta fuerunt. Et huc pertinet ſolutio argumenti:

Voluntas congruens cum diuina, eſt bona.

Iudæorum voluntas congruit cum diuina volente mortem Filij, quem & ipſi interfectum voluerunt.

Ergo Iudæorum voluntas fuit bona.

Reſpondeo ad maiorem. Vera eſt maior, ſi voluntas ſecundum omnes cauſas congruit. Ad minorem: Falſa eſt minor, quia multiplex diſcrimen eſt in voluntate Dei & Iudæorum. Impulſiua cauſa in Deo eſt immenſa Dei miſericordia erga genus humanum, & interceſsio Filij offerentis ſe ad pœnam pro nobis luendam. In Iudæis verò impulſiua cauſa eſt ardens odium aduerſus Chriſtum. Deinde formale, quod vult Deus, eſt obedientia Filij. In Iudæis autem formale, quod volunt, eſt laceratio, carnificina, & cruciatus, quem vellent eſſe perpetuum. Poſteà finales cauſæ in Deo ſunt, placatio iræ Dei, reconciliatio hominum cum Deo, gloria Dei, ſalus hominum, &c. In Iudæis autem deletio Chriſti, mors æterna, & confirmatio errorum, idolatriæ, & ſcelerum. Non igitur congruunt cauſæ in Deo & in Iudæis, etiamſi in idem obiectum incurrunt, vt chirurgus & latro in idem obiectum incurrunt. Vide Epiphanium contra Caianos, vel Cainitas.

An Deus Iudæ perfidiam & Iudæorum ſcelus non præordinauit?

Nequaquam. Qui enim facit peccatum, ex diabolo eſt. Abſit à Deo 1. Ioh. 3.
impietas, & ab Omnipotente iniquitas. Præordinauit quidem Deus obe- Iob. 34.
dientiam & ſatisfactionem Filij pro genere humano. Ad huius præordinationis executionem, quod ad infligenda mala attinet, impij & indurati ſua ſponte feruntur, non impulſi à Deo, ſed à diabolo & ſua malitia, nec volentes id, quod Deus vult, ſed longè aliud. Deus enim vult bonum, ipſi verò volunt malum, & interitum Chriſti. Etiamſi autem Deus προγνώσει ſua æterna ab æterno cognoſcat iſta ità futura, tamen Iudæ & Iudæorum ſcelera nec vult, nec adiuuat, nec approbat, verùm cùm præſciat eos eſſe vaſa iræ, quæ ſpreto Chriſto ſuæ rabiei indulgeant, deſerit eos, & ſuo ipſos impetu, ac diaboli inſtinctu & impulſu ferri ſinit, & tamen æterno, immutabili & definito ſuo conſilio omnia iſta in optimum finem deducit, qui eſt, gloria Dei, & ſalus hominum. Hic finis bonus eſt prædeſtinationis Dei: ipſum autem ſcelus Iudæ & Iudæorum à diabolo eſt, & prohibente ac puniente Deo ſcelus iſtud, committitur.

Cur Deus non anteuertit & impedit peccatum, cùm facilè impedire poſſet?

I. Quia naturam rationalem ſemel libertate donatam, non violenter cogere vult, nec inuitam trahere ad obedientiam, ſed talem, qualis eſt, ſuſtentat.

II. Quia requirit ſpontaneam obedientiam, quæ non poſſet ei eſſe grata, niſi ſpontanea eſſet.

III. Quia ſecundùm ſuam voluntatem in verbo patefactam nobiſcum agit, id eſt, ſecundùm promiſsiones & comminationes, quibus vel moueri ad obedientiam debemus, vel pœnas dare Deo, cui non obedimus.

IIII. Quia reſtat iudicij nouiſsimi dies, vbi peccatum prorſus eradicabitur, & impij damnabuntur.

Cur Deus non ſtatim tollit & punit impios?

I. Quia longanimis eſt, & dat ſpatium ad pœnitentiam.

II. Quia teſtatur reſtare iudicium, in quo omnia occulta patefient & iudicabuntur.

III. Quia impij & impœnitentes grauius punientur.

IIII. Quia Deus vult agnoſci meritum Filij, propter quem parcitur toti generi humano.

V. Quia vult celebrari ſuam miſericordiam, bonitatem, clementiam, longanimitatem & patientiam.

VI. Vult etiam nos in exercitijs veræ pœnitentiæ continuò viuere.

Auguſtinus: DEVS ſinit tam tetra in opinionibus, cultibus & moribus accidere, vt eius vbiq; ſint tremenda iudicia, & comparatione impuræ nequitiæ dulceſcat puriſsima diſciplina, atq; illi det honorem: timorem autem vel pudorem ſibi, qui in hæc mala vel illo regente non cecidit, vel illo inde leuante ſurrexit.

Gerſon: Si DEVS damnare voluiſſet homines, iam dudùm id feciſſet, ſicut diabolos damnauit: & non dediſſet Filium: nec daret deſiderium & ſpatium pœnitendi: nec iuberet nos in ſuo auxilio & bonitate ſua confidere.

Cùm Deus ſæpè peccata peccatis puniat, an non vult peccatum?

DEVS nec à principio, nec in medio, nec in fine vult peccatum. Et blaſphemi ſunt omnes, qui Deo culpam peccati vllam imputant. Vult autem pœnam, cuius ius & executio eſt opus voluntatis Dei. Et ratione pœnæ vult etiam ius talionis, vt, per quæ quis peccauit, per eadem puniatur. Tenendæ ſunt autem nobis obſeruationes ceu regulæ duæ.

Prior hæc eſt: Quoties Deus peccata peccatis punit, tunc adhibet ad executionem pœnarum impios, ſeu vaſa iræ, quorum natura non eſt alia, niſi peccare, & Deo reliſtere, & quæ alioquin, etiamſi ad pœnas illas, quas Deus vult, non adhiberentur, damnationi obnoxij eſſent. Sunt enim ceu virga, qua pater vtitur, eamq; tandem in ignem conijcit, vt ſunt Abſolon, Aſſur (Eſai. 10.) & hodie Turca, & ſimiles hoſtes veræ Eccleſiæ, non agentes pœnitentiam.

Poſterior eſt: Quæcunque vel præmia, vel pœnæ pijs in bonum eueniunt, illa Deo ita euentum diſponente eueniunt, etiamſi in medijs multiplicia ſint errata, quorum cauſa non eſt Deus, ſed diabolus, & peruerſa hominum natura. Econtra: Quæcunque malis in malum eueniunt, illa, Deo ita euentum ex iuſta ira diſponente, eueniunt, qualiacunque ſint media, quorum error & confuſio non Deo, ſed diabolo & hominibus adſcribi debet. DEVS enim omnia æterno ſuo conſilio in optimum finem definit, vel ad piorum ſalutem, vel ad impiorum perditionem, illam quidem gratuitam, hanc verò debitam & promeritam ipſorummet culpa.

Cur Deus multos ſinit viuere in ſua cæcitate, & in ea multos etiam perire?

Culpa excæcationis & exitij ſita eſt in homine, non tantum ratione originalis peruerſitatis, ſed ratione contemtus doctrinæ ſonantis in Eccleſia, quam audire homines debebant, & cùm eam non audiant, iuſto DEI iudicio puniuntur.

Eſt igitur prima cauſa iſtius cœcitatis, iuſta ira Dei aduerſus peccatum, & vaſa iræ.

Secunda: Pœna peccatorum peculiarium & actualium multorum, Idolatriæ, blaſphemiæ, libidinis, &c.

Tertia: Confuſio diaboli, qui dum putat ſe iam omnes excæcaſſe, & habere dominium mundi, & omnes gentes in ſua manu, pudefit prædicatione Euan-

ne Euangelij, qua regnum ſuum videt deſtrui, & paſsim inter gentes eccleſiam colligi, ne omnes pereant.

Quarta cauſa eſt, vt cogitemus de vocatione gentium reſeruata incarnationi Filij, ſua voce ablegantis diſcipulos in omnem terram.

Quinta: Vt humiliemur coram DEO, & ſciamus, nos ex mera ſolius Dei miſericordia gratis per & propter Filium, ſine meritis & operibus noſtris illuminari, vocari, doceri, & ſeruari: & agamus DEO gratias, quod voluerit nos viuere in cœtu vocatorum, & doctrinam de Filio Dei, & ſalute credentium audire.

Sexta: Vt omnia ſubijciantur voluntati Dei, quæ ſemper iuſta eſt, & exempla edit iuſtitiæ & miſericordiæ ſuæ, conſilio nobis imperſcrutabili.

Septima: Vt manifeſtum fiat, perire omnes, qui Eccleſiam de Chriſto docentem non audiunt, & ſe ei aggregant.

An gentes extra Eccleſiam non habent excuſationem?

Nullam. 1. Rei enim ſunt propter peccatum & malitiam naturæ. 2. deindè propter iuſtitiam, in qua veritatem Dei detinent. 3. propter multiplicia, horrenda, & fœda peccata. 4. propter contemtum veræ doctrinæ, quam etiam oblatam repudiant. 5. propter iuſtiſsimam iram Dei aduerſus contemtores Chriſti.

Cur Chriſtus prohibet, ne diſcipuli eant in viam gentium, & Samaritanorum? Math. 10.

Quia vult apud Iudæos, qui habebant veros cultus Dei, primam quaſi cathedram doctrinæ Euangelij erigi ſecundùm promiſsionem, ſecundùm illud, Act. 13. Vobis oportebat primùm prædicari verbum Dei, ſed quia repellitis illud, & vos ipſos æterna vita indignos iudicatis, ecce conuertimur ad gentes. Non excludit Chriſtus gentes, ſed reuocat omnes ad audiendum verbum in Eccleſia, id eſt, eo loco, in quo cathedram ſuam conſtituit, & inde etiam vult ſumi & deriuari puritatem doctrinæ ad alios populos in vniuerſo terrarum orbe, vt factum eſt.

Cur Chriſtus dicit, Tyrios, Sidonios, & alios in cinere pœnitentiam acturos fuiſſe, ſi ea virtutes apud eos factæ fuiſſent, quæ in Iudaicis ciuitatibus factæ fuerunt? Cur lux tanta, vt conuerterentur, ipſis non affulſit? Math. 11.

Auguſtinus in quæſtionibus, non eſſe quærendum de hac re, piè monet. Reſponſio tamen vera etiam hæc eſt: Chriſtus humano more loquitur, & ad communem captum accommodat ſermonem, conferens ingratos ciues Iudæos & Galilæos cum ethnicis, Sodomitis, Tyrijs, & ſimilibus, & tantum hoc dicit, grauiùs eſſe puniendos eos, qui verbum Dei audiunt, & norunt voluntatem Dei, quàm cæteros, quibus lux doctrinæ nondum ita, vt iſtis affulſit: idq́ ex iuſto Dei iudicio & conſilio nobis non inquirendo, culpa tamen non Dei, ſed hominum aſpernantium DEI bonitatem per verbum oblatam, quod audire homines non volunt.

Cur à Spiritu ſancto Paulus & Timotheus prohibentur, ne eant in Aſiam & prædicent ibi Euangelium? Act. 16.

Deus voluit eos aliò ablegare, vbi maior fructus produceretur ſecundùm liberrimam Dei εὐδοκίαν: interea differri voluit prædicationem Euangelij in Aſia & Bithynia. Huius diuini conſilij rationem nouit ipſe, cuius conſilium eſt. Nos autem agamus Deo gratias pro luce Euangelij, & ſtudeamus pietati, ne illa à nobis rurſum auferatur, & alijs populis tradatur. Deindè etiam hoc verum eſt, Paulum & Timotheum non potuiſſe vno & eodem tempore in diuerſiſsimis locis docere, ſed opus fuiſſe ordine certo, & tempore, cuius rationem Deus ipſis præſcribit, vbi ſcil. incipere, & quo porrò ſe conferre debeant.

 An pro-

An promiſsio gratiæ non eſt vniuerſalis, & omnibus offertur?

Omninò. Hæc enim eſt voluntas Dei, vt omnis, qui credit in Filium, Ioh. 6. non pereat, ſed habeat vitam æternam. Hæc igitur vniuerſalis promiſsio & voluntas Dei accipienda eſt non promiſcuè & confuſe in genere, & ſine ordine, ſed referenda eſt ad ordinem ab ipſo Deo inſtitutum, videlicet ad omnes pœnitentes, & verè credentes in CHRISTVM: ideò vniuerſali particulæ Omnis, additur determinatio, Qui credit. Et: nolo mortem peccatoris. Sed cuius peccatoris? eius ſcilicet, qui conuertitur. Et Iohan. 6. Omnis venit ad me, Omnis inquam, qui audit à Patre, & diſcit. Vult enim 1. Tim. 2. Deus omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Hæc agnitio non fit extra eccleſiam, ſed in eccleſia: non ſine verbo, ſed per verbum: non ſine Spiritu ſancto, ſed motu & efficacia Spiritus ſancti operantis per verbum & vſum ſacramentorum: non ſine pœnitentia, ſed in verà conuerſione ad Deum, & inuocatione, & pietate.

An non fides eſt donum Dei? cur igitur non omnibus æqualiter datur?

2. Theſſ. 3. Fides eſt donum Dei non generale, non commune aut vniuerſale (quia fides non eſt omnium) non ethicum, non legale, non naturale, ſed peculiare, Ioh. 6. euangelicum & ſpirituale, ſeu opus Dei, quod confertur & datur ſecundùm ordinem à Deo inſtitutum ijs, qui ſunt viua membra eccleſiæ CHRISTI, auditores verbi, & vtuntur ſacramentis eo modo, quo CHRISTVS inſtituit, ſuntꝗ cuſtodes verbi, & pietatis. Non autem datur fides ijs, qui media à DEO propoſita aut contemnunt, aut non curant, aut obiter deguſtant, paruipendunt, & poſtponunt rebus carnalibus & terrenis, aut propriæ rationi, ac pietatis ſtudium negligunt. Hi enim licet fidem hiſtori- Iacobi 2. cam habere poſsint, quam etiam dæmones habent, & contremiſcunt, tamen fide iuſtificante carent, & cùm ſunt omnium optimi & ſanctiſsimi, ſunt hypocritæ, dubij, incerti, ſine verà fiducia & conſolatione. Hæc quæſtio infra repetetur.

Datur ne fides propter auditum verbi, vſum ſacramentorum, & ſtudium pietatis?

Sicut homo non iuſtificatur propter fidem, ſed per fidem in Chriſtum: Ita fides non datur propter auditum verbi, & vſum ſacramentorum, ſed per verbum, & ſacramenta, tanquam per media ab ipſo Deo ad hoc ipſum inſtituta & propoſita, vt Spiritus ſanctus per illa ſit efficax, & accendat & conſeruet fidem in mentibus & cordibus audientium, & diſcentium doctrinam cœleſtem.

Cur autem fides non datur omnibus audientibus verbum, & vtentibus ſacramentis?

Ad hanc quæſtionem Chriſtus ipſe reſpondet, Luc. 8. oſtendens tria eſſe impedimenta, quò minus verbum DEI radices agat, & fidem operetur in animis omnium auditorum, ſed vt tantùm quarta pars horum rectè audiat verbum, & verè credat. Primum eſt diabolus. Secundum, ratio & caro hominis. Tertium, mundus, & amor rerum mundanarum. Primum genus hominum comparatur viæ, in qua proiectum ſemen ſeu verbum DEI conteritur, à volucribus abſumitur, & fructum nullum fert. Tales enim ſunt Epicuræi, empæctæ, impœnitentes, ſecuri, & immorigeri, id eſt, omnes contemtores verbi, ſacramentorum, & miniſtrorum verbi. Secundum genus comparatur petræ, quæ ad tempus accipit ſemen verbi, ſed tempore crucis rurſus illud amittit. Huc pertinent omnes hypocritæ, temporarij, incon-

inconſtantes, dubij, apoſtatæ, delicati, mercenarij & ſapientes mundi. Tertium genus comparatur ſpinis, quæ ſunt ambitioſus honos, & opes, & fœda voluptas. Nam hæc tria pro trino numine mundus amat.

Ex his manifeſtum eſt, fidem veram & conſtantem non dari ijs, qui à diabolo, & carne ſua, & mundo ſe regi, & vinci patiuntur, ſed ijs dari, qui & auditores ſunt verbi, & cuſtodes illius conſtantes, ac ſimplici & bono corde ſe ſubijciunt verbo, & patientes ſunt in cruce: id eſt (vt ſummatim multa dicamus) 1. qui audiunt doctrinam Euangelij, & vtuntur ſacramentis. 2. agnoſcunt Chriſtum Deum, & hominem, redemtorem, iuſtificatorem, mediatorem, & ſaluatorem. 3. agnoſcunt imbecillitatem ſuam, & eam deplorant, ac non obloquuntur verbo & gloriæ Chriſti, ſed Deum precantur, vt ipſe fidem det & augeat, cor aperiat, & faciat nos templa Spiritus ſancti. 4. qui Deo libenter & ex animo obtemperare vellent. 5. lætantur dulciſsimo nomine IESV, & annunciatione immenſæ gratiæ Dei. 6. ſunt patientes & conſtantes, & diuinæ voluntati ſuam voluntatem committunt. 7. dolent quoties ſe Deum offendiſſe ſentiunt, ideoq́ pietati ſtudent. Hæc omnia & ſingula ſunt infallibilia teſtimonia, quòd filij Dei ſimus, & quòd fides nobis detur, & data ſit, augeatur, & confirmetur.

Ex his etiam hoc manifeſtum eſt, fidem eſſe donum & opus Dei gratuitum: econtra verò infidelitatem eſſe opus diaboli, carnis ſeu rationis & naturæ corruptæ hominis, & mundi: Et Dei beneficium eſſe, habere fidem: culpam autem hominis eſſe, carere fide.

Cur ſcriptum eſt: Crediderant, quotquot erant ordinati ad vitam æternam? Act. 13. verſu 48.

Hæc ideò ſcriptum eſt, quia ſic ſe res habet. Nouit enim Deus ſuos ab æterno, & quos prædeſtinat ad vitam æternam, eos per verbum, quod audiunt, fide donat, & iuſtificat. Quod autem non omnes prædeſtinat & fide donat, culpa eſt hominum, non Dei. Homines enim multi fruſtra audiunt verbum, & reſpuunt gratiam Dei in verbo oblatam. Etſi verò DEVS ex omnibus nolentibus facere poſſet volentes, tamen hoc non facit: & cur non faciat, ſuas habet iuſtiſsimas & ſapientiſsimas rationes, quas inquirere velle, noſtrum non eſt. Gratias potius toto pectore agere debemus, quòd nos per prædicationem Euangelij ad participationem vitæ æternæ vocauerit, & fide corda noſtra illuminauerit. Et cùm Lucas Act. 13. peculiari vocabulo vtatur, quod eſt, τεταγμένοι, ordinati, ſciamus nos ad τάξιν alligatos eſſe, id eſt, ſecundùm ordinem à Deo inſtitutum in eccleſia, verbo & ſacramentis, de electione iudicare & loqui debere, & de ea ſemper has ſententias firmiſsimè tenere, Quòd nuſquam ſint electi, niſi in cœtu vocatorum. Et, Quòd omnes in agone perſeuerantes in fide & inuocatione filij Dei, ſint electi. In his ſententijs qui acquieſcere nolunt, ij in ſuis & aliorum animis aut Epicuræum contemtum, aut deſperationem confirmant, & non ſunt ἐν τάξει, in ordine eo, in quo DEVS ordinauit ad vitam æternam eos, qui ſecundùm ordinem à DEO inſtitutum agunt pœnitentiam, & credunt in CHRISTVM. Syrus reddidit vocabulum, τεταγμένοι, רשימין, ſignati, obſignati, ſigillati, ſcilicet, ſanguine CHRISTI: Vel, poſiti & conſtituti ad vitam æternam.

Eſt ne præuiſa fides cauſa electionis?

Si fides iuſtificans eſſet noſtrum opus, noſtra qualitas & virtus, hæc quæſtio locum haberet. Sed quia fides illa eſt opus DEI in nobis, ideò non admodum opus eſt hac quæſtione, ad quam tamen reſpondere non eſt diffi-

Digitized by Google

cile. Electio certè eſt æternum Dei propoſitum de ſaluandis hominibus. Huic propoſito Dei ſubijcitur fides in Chriſtum, quam & ipſam Deus dat ſecundùm ordinem à ſe inſtitutum. Præuiſa igitur fides non poteſt cauſa eſſe æternæ electionis, cuius quaſi conſequens & effectus fides eſt in nobis in tempore natis, & in tempore etiam ceſſat, nobis morientibus. Quòd ſi præuiſa fides diceretur cauſa electionis, facilè falſa opinio de præuiſa noſtra dignitate, & de meritis non tantum fidei, tanquam qualitatis noſtræ, ſed etiam aliorum bonorum operum noſtrorum, animos occupare poſſet. Scit Ephes. 1. Deus, qui ſint ſui, & eos elegit ante iacta mundi fundamenta. Et huius electionis cauſa nulla alia eſt, niſi miſericordia & clementia DEI gratuita per & propter Chriſtum mediatorem, eiuſq; meritum, ſola fide apprehendendum & applicandum. Hæc fides cùm ſit manus ſeu inſtrumentum, quo apprehenditur gratia Dei & meritum Chriſti, non poteſt eſſe cauſa gratiæ & electionis, ſed eſt illud medium & organum, quo fit applicatio gratiæ & meriti Chriſti ad nos.

Habet ne Deus certum numerum electorum ad vitam æternam?

DEVS nouit ſuos. 2. Tim. 2. & eſt conſcius omnium rerum. Nouit igitur etiam perſonas, & numerum ſaluandorum. Hæc magna conſolatio eſt orta ex rei veritate. Hinc verò non ſequitur, quòd Deus decreto ſuo peculiari & arcano certos quoſdam homines deſtinarit æternæ damnationi, & nolit eos ad veritatis agnitionem peruenire & ſaluari, ſed efficaciter ipſe eos excæcet & induret, & cauſa ſit damnationis eorum. Hæc opinio prorſus blaſphema eſt. Et tamen verùm eſt, Deum, qui nouit ſuos ex gratia, etiam noſſe perſonas & numerum damnandorum, non ex prædeſtinatione, ſed ex omniſcia omnium rerum præcognitione, & iuſto iudicio exequente malum non culpæ, ſed pœnæ. Deus enim nouit vniuerſos & ſingulos homines, & ex his ſaluandos ex gratia ſine ipſorum meritis, ac per antitheſin & conſequentiam etiam damnandos ex iuſta ira propter impietatem ipſorum, qui gratiæ reſiſtunt.

An non Deus ipſe excæcat & indurat impios, vt ſcriptura loquitur?

Omninò. Quando enim gratia Dei abeſt, tunc ſemper Deus excæca- Pſal. 81. re & indurare homines dicitur, relictos ſcilicet ſibi, & ſecundùm deſideria cordis ſui euntes in adinuentionibus ſuis. Hæc pœna eſt, & iudicium Dei in contemtores gratiæ Euangelicæ. Et certè nullo maiori ſupplicio afficere poteſt Deus illos, qui parere nolunt ſalutaribus monitis ipſius, quàm ſi eos patiatur obſequi & indulgere cupiditatibus ſuis, & ſua conſilia ſequi, quibus ſibi peſtem & perniciem machinantur & comparant: idq; tùm maximè, cùm ſibi ſapere, & rebus ſuis optimè conſulere videntur. Aguntur enim ſpiritu non Dei, ſed ſpiritu malo, & Deum habent ſibi non propitium, ſed iratum, licet iram ſuam Deus ad tempus occultet, vt ſcriptum eſt: Re- Ezech. 16. quieſcet indignatio mea in te, & auferetur Zelus meus à te, & quieſcam, nec Ioh. 12. Non poterant credere. Indurati enim non poſſunt credere. iraſcar amplius. Hæc excæcatio & induratio eſt, hoc eſt, remotio gratiæ, non verò efficax operatio ex propoſito & decreto voluntatis diuinæ facta ad malum culpæ, ſed pœna contemtus verbi Dei, qua DEVS dimittit ſeu permittit (vt Pſalmus 81. loquitur) ingratos & impios ferri ſuæ carnis, naturæ, & rationis impetu: quo fit, vt de peccato in peccatum ipſi ſuamet culpa, & in exitium ſe ipſos præcipitent. Dicitur autem Deus eos excæcare, indurare, præcipitare, & decipere (Ezech. 14.) ratione iuſtiſſimæ pœnæ & iræ. Vbi enim gratia per & propter Chriſtum non eſt, ibi neceſſe eſt locum dari indurationi & excæcationi. Eſa. 6. Ioha. 12.

Digitized by Google

An non omnia fiunt Deo volente, & fiunt neceſſariò?

Antequam reſpondeatur, octo hypotheſes de voluntate DEI conſiderandæ ſunt.

Prima: Omnia ſunt ſubiecta potentiæ & voluntati Dei.

Secunda: Deus omnia, quæ vult, poteſt facere ſine omni exceptione & impedimento.

Tertia: Deus omnia, quæ vult, facit iuſtè, rectè, & ordinatè.

Quarta: Voluntas Dei in ijs, quæ pendent à voluntate eius, & non aliunde, eſt immutabilis.

Quinta: De voluntate Dei iudicandum eſt ſecundùm normam verbi, id eſt, legis & Euangelij, vbi Deus ſuam voluntatem nobis reuelauit.

Sexta: Voluntas DEI in verbo nobis reuelata, non eſt diuerſa à voluntate DEI non reuelata, æterna, & arcana. Nam hanc reuelat Filius Dei.

Septima: DEVS non vult, nec approbat, nec adiuuat, nec ordinat peccatum, etiamſi velit pœnam, ſicut iuſtus iudex ideò vult pœnam, quia non vult delictum.

Octaua: DEVS vult omnes ſaluari, & nullius hominis damnationem expetit, nullum etiam ad mortem & exitium creauit aut deſtinauit, ſed ideò miſit Filium, vt omnes in eum credentes vitam æternam habeant.

His hypotheſibus diligenter conſideratis, nunc ſciendum eſt, voluntati Dei omnia quidem ſubiacere, ſed ita, vt Deus aliter velit ea, quæ ſimpliciter pendent à voluntate diuina, & aliter ea, quæ à voluntate creaturarum rationalium, præſertim poſt lapſum, pendent, quorum multa ſæpè fiunt etiam contra Dei voluntatem, vt ſunt peccata à DEO prohibita, quæ etiam Deus punit hac ipſa de cauſa, quia ſunt ἄνομα, id eſt, contra voluntatem & legem Dei fiunt, & cum ea pugnant. Vult enim DEVS aut obedientiam, aut pœnam.

Vtilis quoque, docendi cauſa, hæc diſtinctio eſt. Voluntas DEI aut eſt antecedens, aut conſequens. Antecedens eſt, quæ eſt vel omnipotentiæ vel εὐδοκίας ſeu approbationis. Omnipotentiæ voluntas eſt immutabilis, cui nulla alia potentia reſiſtere poteſt, vt eſt gubernatio omnium rerum. Approbationis voluntas eſt aut finis, qua vult DEVS ex beneplacito paterno omnes homines aſſequi finem, ob quem creati & redemti ſunt, id eſt, ſaluari: aut eſt voluntas ad finem, qua ſcilicet vult DEVS ab hominibus fieri ea, quæ ratione ordinis ad finem conſequendum pertinent, & ſine quibus nulli ſunt ἀναγκαῖοι ad ſalutem, vt, eſſe membrum veræ eccleſiæ, audire verbum, peruenire ad cognitionem veritatis, credere promiſsionibus, iuſtificari, renouari, vti medijs à DEO inſtitutis, pietati ſtudere, orare, & in fide & pietate perſeuerare. Conſequens Dei voluntas eſt, qua DEVS vel iuſtitiæ ſuæ ratione impios, incredulos & impœnitentes punit, vel ratione ſuæ miſericordiæ conuerſos & credentes in Filium recipit & ſeruat gratis propter Filium. Præter hanc antecedentem & conſequentem voluntatem DEI eſt etiam voluntas permiſsionis, impropriè dicta voluntas. Rectiùs enim ſimpliciter permiſsio (vt Pſalmus 81. nominat) diceretur. שָׁלַח miſit, dimiſit, permiſit. Ea autem eſt, qua DEVS, quæ ipſe non vult, ſinit fieri ab impijs repugnantibus verbo & voluntati DEI, quos dimittit Deus ſecundùm deſideria & prauitatem cordis eorum, donec eos abijciat: id quod eſt שָׁלַךְ abiecit.

Schalahh permiſit. Schalach abiecit.

Hæc ideò diligentiùs obſeruanda ſunt, vt oſtendatur, falſum eſſe Stoicum illud dogma de abſoluta neceſsitate omnium, quæ fiunt, virtutum, & ſcele-

ſcelerum, Deo (vt aiunt) volente, impellente & agitante ita hominum mentes & voluntates. Hoc enim modo Deus autor non tantum omnium bonorum, ſed etiam peccatorum conſtitueretur, quorum prius veriſsimum, poſterius verò falſiſsimum & blaſphemum eſt.

In ſcriptoribus eccleſiaſticis aliquoties fit mentio neceſsitatis abſolutæ & conditionalis. Illa eſt voluntatis Dei ſimpliciter, & eſt immutabilis, vt, creatio, redemtio, collectio, vocatio, ſanctificatio, conſeruatio Eccleſiæ, reſuſcitatio mortuorum, vltimum iudicium, ſalus credentium, &c. Eſai. 46. Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Conditionalis neceſsitas eſt voluntas Dei in ijs, quæ Deus cum conditione propoſuit, & vult ea perfici ratione vel iudicij ſui, vel miſericordiæ, vt cùm Sodomitis ſubuerſio prædicitur cum conditione, ſi decem iuſti inueniantur, eos interire non debere: & Niniuitis denunciatur excidium cum conditione, ſi non reſipiſcant: Regi Ezechiæ denunciatur mors, & tamen differtur ad annos quindecim: Pharaoni indurato conſtituitur terminus iudicij, niſi audiat Moſen & Aaronem: Abimeleco mors decernitur, niſi Abrahamo reſtituat vxorem: Deus vult omnes ſaluari, qui audiunt Filium, & neminem vult damnari, niſi qui non credit in Filium. Vult enim credentes ſaluari (hæc voluntas miſericordiæ eſt) & non credentes damnari (hæc voluntas iuſtitiæ & iudicij eſt) & tamen eſt vna, & eadem, ac ſimpliciſsima voluntas ſemper directa ad bonum, & è contrario auerſans malum.

Geneſ. 18. Ionæ 3. & 4. Eſai. 38. Geneſ. 20. 1. Tim. 2.

Huc pertinet vox pœnitendi Deo tributa, & ab humano more ſumta, quæ non mutationem voluntatis diuinæ, ſed motum Spiritus ſancti excitantis in cordibus piorum ſenſum vel miſericordiæ, vel iudicij & iræ Dei ſignificat. Vt cùm dicitur, pœnituit Deum, quòd feciſſet hominem, id eſt, Dei longanimitas & patientia nimis læſa fuit peccatis hominum, ita, vt Deus iritatus, ſecundùm normam iuſtitiæ ſuæ voluerit pœnam exequi, & delere genus humanum. Item, pœnituit Deum mali, quod locutus fuerat facere Niniuitis, id eſt, agentes pœnitentiam in gratiam recepit, ſecundùm illud Ierem. 18. Cùm reuertitur gens mala à malo ſuo, pœniteo & ego ſuper malo, quod cogitabam, vt facerem ei. Hæc norma miſericordiæ eſt. Nemo autem hoc admirandum temperamentum iuſtitiæ & miſericordiæ diuinæ, manente tamen vna & eadem voluntate conciliare poteſt, niſi filius Dei, ſatisfaciens iuſtitiæ, & aperiens feneſtras miſericordiæ.

Geneſ. 6. Ierem. 18. Ionæ 3. Si Deum pœnituit, falſum eſt, quòd creauerit quoſdam ad peccatũ & damnationẽ. נחם

Teneamus autem veram & vſitatam doctrinam de quatuor gradibus neceſsitatis. Neceſſariò vera ſunt omnia, quæ ad primum gradum neceſsitatis, quæ abſoluta, & ſimplex, ſeu neceſsitas conſequentis vocatur, referenda ſunt, vt: Deus vnus eſt, tres ſunt perſonæ diuinitatis, Deus bonus, iuſtus, & miſericors eſt, &c. Deinde neceſſariò vera ſunt omnia, quæ ad ſecundùm gradum neceſsitatis pertinent in natura rationali, & eius principijs theoricis & practicis, vt: Homo intelligit diſcrimen honeſtorum & turpium: bis quatuor ſunt octo. Et huc ex verbo Dei à quibuſdam doctoribus referuntur etiam ea, quæ non natura nobis nota ſunt, ſed quæ in verbo Dei tradita, neceſsitate definitionis & demonſtrationis cœleſtis vera ſunt, & neceſſariò fiunt ſecundùm normam voluntatis Dei nobis patefactæ, vt: Credens in filium ſaluatur. Non credens damnatur. Erit reſurrectio mortuorum. Hæc enim & ſimilia, quæ conſtant definitione & demonſtratione Euangelica, eaq; non γραμμικῇ ſeu lineari, ſed γραφικῇ, non minus vera ſunt neceſſariò, quàm hæc: bis quatuor ſunt octo. Poſtea neceſſariò vera ſunt ea, quæ ad tertium gradum neceſsitatis pertinent, in ijs ſcilicet, quæ naturaliter agunt, niſi Deus aliter velit, vt, Ignis vrit, qui tamen in fornace Babylonica tres Iſraëlitas vrere non potuit. Sol mouetur neceſſariò, neceſsitate phyſica, quia à Deo ita conditus eſt. Sed Ioſuæ 10. Sol ſtat. Deus enim

Dan. 3.

causis

cauſis ſecundis non eſt alligatus, ſed cauſæ ſecundæ ſunt ſubiectæ, voluntati & ordinationi Dei, & ſunt mutabiles. Vltimò vera ſunt etiam ea, quæ cauſas habent non neceſſarias, ſed ſua natura contingentes, & tamen iam facta ſunt, ideoq́, quia infecta fieri non poſſunt, neceſſaria dicuntur, neceſsitate conſequentiæ, vt Sapientiæ 19: Aegyptij digna neceſsitate perierunt ſuffocati, id eſt, quia non ceſſabant peccata eorum, ideò neceſſe fuit eos perire, ſcilicet, neceſsitate conſequentiæ.

Ex his breuiter iam ad quæſtionem reſponderi poteſt, Omnia fieri Deo volente, ſcilicet, omnia bona: Mala autem fieri Deo prohibente, vt peccata, quorum pœnas Deus etiam vult & irrogat, niſi fiat conuerſio, & remiſſio propter Filium. Neceſſariò verò fieri omnia, dici non poteſt ſine diſcrimine. Multa fiunt contingenter. Multa etiam fiunt ex propoſito malo hominis, quæ omitti debebant & poterant. Multæ pœnæ attrahuntur malitiâ humana. Et tamen hæc, cùm facta ſunt, dicuntur neceſſariò vera, neceſsitate conſequentiæ, quia non poſſunt fieri infecta. Sed de his ſatis. Conciliare enim in hac vita non omnia poſſumus, ſed ſufficit nobis hæc doctrina, quòd omnia bona à Deo ſint, & Deo præſciente, ſciente, præuidente, vidente, audiente, cognoſcente, iudicante, & ad finem tandem bonum & pijs ſalutarem dirigente & deſtinante omnia fiant, & quòd etiam mala, quæ ſunt pœnæ, caſtigationis, crucis, & probationis, à Deo volente pijs infligantur, etiamſi media, ſeu inſtrumenta & organa executionis ſint vaſa iræ, diaboli, & impij, ſicut Dauid inquit: Dominus præcepit Simei, vt malediceret Dauidi. Et Ioſeph ad fratres: Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum. Item Iob, cùm Sathanæ permiſiſſet Deus ſtragem in filios & iumenta Iobi: DOMINVS abſtulit, inquit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Et Paulus vinctus ab impijs, nominat ſe captiuum ſeu vinctum Ieſu Chriſti. 2. Sam. 16. Geneſ. 45. Philem.

Sunt ne multi effectus reuera contingentes?

Sunt. Deus enim non tollit ſuo moderamine modum agendi in natura, ſed ſicut naturam, ita & modum naturæ agendi ſuſtentat, & vult, vt alia naturaliter, alia voluntariè agant, vt ignis naturaliter agit, homo voluntariè. Et: Deus ordinem ſuæ prouidentiæ exequitur per cauſas inferiores, quarum effectus alij ſunt neceſſarij, alij contingentes. Et quidquid ſanè opponatur, certum tamen eſt, hominem ſua voluntate alia præ alijs eligere & facere, & Deum non eſſe cauſam peccati, nec velle peccatum. Ac illuſtre exemplum eſt ipſius Chriſti Seruatoris, qui poterat obtinere duodecim legiones Angelorum, nec tamen obtinet, & Pater ſciebat eum non petiturum illas, cùm tamen petere potuiſſet. Fieri ergò aliquid potuit, quod tamen factum non eſt. Vnde etiam rectè dicitur, ſcientiam Dei non reddere neceſſarias omnes actiones, & Deum non eſſe ſeruum ſuarum actionum, quia ſcit DEVS, quid facturus ſit, ſed non ideò facturus eſt, quia ſcit, verùm ideò ſcit, quia facturus eſt, & habet liberrimam faciendi & non faciendi poteſtatem. Et hanc doctrinam diligentiùs conſiderare debemus, vt Deum precemur, vt ipſe nos gubernet, ne contra ordinem eius ruamus, ſed in timore DEI viuamus in adiutorio altiſsimi habitantes, nec quid tentemus, quòd gloriam Dei obſcuret, vel noſtram ſalutem impediat.

Cur alicubi in ſcriptis orthodoxorum doctorum legitur, omnia fieri neceſsitate abſoluta?

Hyperbole iſta eſt rectè ſentientium, & ſeipſos declarantium hoc modo, neceſsitatem non ſine verbo, ſed ſecundùm verbi diuini normam eſſe definiendam. Ideò D. Lutherus inquit: Poſt meam mortem multi meos libros proferent in medium, & indè omnis generis errores & deliria ſua confirmabunt. Geneſ. 26.

Digitized by Google

bunt. Scripſi autem inter reliqua, omnia eſſe abſoluta & neceſſaria, ſed ſimul addidi, quòd aſpiciendus ſit Deus reuelatus, ſicut in Pſalmo canimus, Er heiſt JEſus Chriſt der HERR Zebaoth. Sed iſtos locos omnes tranſibunt, & eos tantum rapient de Deo abſcondito. Vos igitur, qui nunc me auditis, memineritis me hoc docuiſſe, non eſſe inquirendum de prædeſtinatione Dei abſconditi, ſed ea acquieſcendum eſſe, quæ reuelatur per vocationem & miniſterium verbi. Ibi enim potes de fide & ſalute tua certus eſſe, & dicere: Ego credo in Filium Dei, qui dixit: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Ergò in eo non eſt damnatio aut ira, ſed beneplacitum Dei Patris. Hæc eadem alibi quoq; in libris meis proteſtatus ſum, & nunc etiam viua voce trado: ideò ſum excuſatus, &c.

Pſal. 46.

Amemus autem propter gloriam Dei, dexteritatem docendi, & veritatem, & non delectemur abſurdis; & blaſphemis vocibus, quales ſunt fanaticorum, qui publicè euomunt hæc & ſimilia, DEVM abſcondito conſilio ſuo eſſe cauſam indurationis, & decreto ſuo ordinaſſe lapſum hominis, ac efficaciter operari ſcelera hominum, & diabolum armare ad malè agendum: item, peccata eſſe neceſſaria, & Deum velle peccata, eaq; ordinare vt autorem: & electis nulla peccata eſſe mortalia, & reprobris nulla venialia: Chriſtum etiam non veniſſe pro omnibus & ſingulis, nec orare pro omnibus: & promiſsionem gratiæ non eſſe vniuerſalem, nec ad ſingulos pertinere.

Caluin. inſtit. lib. 3. cap. 23. & in Geneſi.

Zanchius ad Bezel.

Beza 1. Timoth. 2. 1. Ioh. 5. & Martyr.

Ex his in DEVM contumelioſis & mendacibus ſermonibus oriuntur alia portenta opinionum, de quibus D. Lutheri verba audiemus. Audio, inquit ille, ſpargi paſsim ſceleratas voces inter nobiles & magnates de prædeſtinatione, ſiue præſcientia diuina. Sic enim loquuntur: Si ſum prædeſtinatus, ſiue benè, ſiuè malè egero, ſaluabor: Si non ſum prædeſtinatus, damnabor, nulla ratione habita operum.

Si hæ voces ſunt veræ, tùm planè tollitur incarnatio Filij Dei, paſsio & reſurrectio, & quidquid fecit pro ſalute mundi. Quid proderunt prophetæ, & tota ſcriptura ſacra? quid ſacramenta? Abijciamus ergò, & conculcemus iſta omnia. Sunt hæc diabolica & venenata tela, & ipſum peccatum originale, quo ſeduxit diabolus primos parentes. Et rurſum: Sunt hæ præſtigiæ diaboli, quibus conatur nos dubios & incredulos reddere, cùm Chriſtus venerit ideò in hunc mundum, vt faceret nos certiſsimos. Neceſſe enim eſt, ſequi vel deſperationem vel contemptum Dei, ſacrorum bibliorum, baptiſmi, & omnium beneficiorum diuinorum, quibus nos voluit confirmatos aduerſus incertitudinem & dubitationem.

Opponenda eſt autem cogitationibus iſtis vera & firma cognitio Chriſti.

Id vnum age, vt ſuſcipias Filium, vt placeat in corde tuo CHRISTVS in ſua natiuitate, miraculis, & cruce. Ibi enim eſt liber vitæ, in quo ſcriptus es.

Deteſtari & fugere ſceleratas voces iſtas debebamus, quas iactant Epicuræi: Si neceſſe eſt hoc ita fieri, fiet. Oportet fieri, quod DEVS præfiniuit, &c. DEVS enim non ideò de cœlo deſcendit, vt faceret te incertum de prædeſtinatione, vt doceret te contemnere ſacramenta, abſolutionem, & reliquas ordinationes diuinas: imò ideò inſtituit, vt redderet te certiſsimum, & auferret morbum dubitationis ex animo tuo, vt non ſolùm corde crederes, ſed etiam oculis carnalibus aſpiceres, & manibus palpares. Habes Euangelium, es baptiſatus, habes abſolutionem, es Chriſtianus. Deus dicit tibi: En habes Filium meum, hunc audias & accipies. Id ſi facis, iam certus es de fide & ſalute tua, & certiſsimè prædeſtinatus es. Audi Filium incarnatum, & ſponte ſe offeret prædeſtinatio.

An Deus

An Deus non habet poteſtatem liberrimam recipiendi, condemnandi quoſcunq; vult?

Habet. Addendum autem hoc eſt: DEVS nec mendax, nec tyrannus eſt. Et de Deo & eius voluntate ſentire debemus, ſicut ſe patefecit in verbo ſuo, quod oſtendit, Deum omnes agentes pœnitentiam, credentes & confugientes ad Filium Dei, & promiſſiones diuinas vniuerſales fide apprehendentes recipere, & in æternum ſaluare.

Non eſt humilitas, dicere, Si Deus vult me damnare, benè eſt, volo eſſe damnatus: quia DEVS ſuam paternam mentem aliter nobis declarauit, quam non inſpicere & fide amplecti, contemtus Dei eſt. Hæc ergò vera eſt humilitas, ſubijcere ſe patefactæ voluntati DEI, quæ eſt: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Vult igitur Deus nos non damnare, ſed ſeruare per & propter Filium, qui dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri, quotquot credimus in nomen eius. Hanc reuelatam Dei voluntatem non amplecti firmiter, non tantum *ἀπιστία* eſt, ſed contemtus Dei & verbi Dei.

Poteſt ne homo eſſe certus de ſua electione ad ſalutem æternam?

Et poteſt & debet eſſe certus, ſicut Paulus inquit: Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. Et: 2. Tim. 1.
Certus ſum, quòd nec mors, nec aliud quidquam poſſit nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Et Iob inquit: Scio, Rom. 8.
quòd Redemtor meus viuit, & videbo eum, &c. Item, Fidelis ſeu certus eſt ſermo, & omni acceptatione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum, peccatores ſaluos facere. 1. Tim. 1.

In quibus rebus conſiſtit certitudo illa electionis noſtræ?

I. In conſideratione *τῆς εὐδοκίας τοῦ θεοῦ*, qui dedit nobis Filium, vt ſcriptum eſt: Sic Deus dilexit mundum, &c. Et: Hic eſt Filius meus, in quo *εὐδόκησα*. Et: Apparuit gratia DEI ſalutaris omnibus hominibus. Item: Tit. 2.
Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Ezech. 18. & 33.

II. In vocatione ad eccleſiam. Rom. 8. Quos enim elegit, hos vocauit. Quicunq; ergò per gratiam Dei ſunt vocati, & audiunt Euangelium, ij certi eſſe debent de paterna voluntate Dei, quòd velit DEVS eos ſaluari: alioqui vocem Euangelij ſui illis non proponeret.

III. In vniuerſali promiſſione gratiæ, quæ pertinet ad Omnes credentes Euangelio.

IIII. In doctrina iuſtificationis hominis coram Deo, qua ducimur ad gratiam Dei, & meritum Chriſti, per media, quæ ſunt verbum Euangelij, & ſacramenta ſigilla iuſtitiæ fidei.

V. In ipſa fide in Chriſtum. Qui enim credit in Filium, habet vitam æternam. Et hæc eſt voluntas Patris, vt omnis credens in Filium, habeat vitam æternam. Ioh. 6.

VI. In conſolationibus, vt: Verè languores noſtros ipſe tulit. Venite ad me omnes. Veni peccatores ſaluos facere. Ecce agnus Dei. Ipſe dedit ſeipſum *ἀντίλυτρον*, &c. Eſai. 53. Matth. 11. 1. Tim. 2.

VII. In exemplis, Dauidis, Manaſſæ, Niniuitarum, Petri, Pauli, Zachæi, filij prodigi, Mariæ Magdalenæ, latronis in cruce, & mille aliorum omnibus mundi ætatibus.

VIII. In precibus & inuocatione Chriſti. Qui enim inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Et nemo poteſt Chriſtum dicere Dominum (id eſt, ad eum confugere, eumq; inuocare & confiteri) niſi per Spiritum ſanctum Ioel. 2. 1. Cor. 12.

Digitized by Google

IX. In ſtudio pietatis, bonæ conſcientiæ, ac conſtantiæ ſeu perſeuerantiæ in profeſsione & confeſsione cœleſtis veritatis, & fidei, & patientia
Matth. 24. ſeu tolerantia crucis & ærumnarum, vſque ad mortem, iuxta illud: Qui
Apoc. 2. perſeuerauerit vſque ad finem, ſaluus erit. Et: Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Ioh. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & vitam æternam do eis, & nemo rapiet eas ex manibus meis.

Quæ ſunt opponenda dubitationi de gratia Dei?

I. Veritas verbi Dei, ſeu natura & proprietas promiſsionis gratuitæ, & iuſiurandum Dei, vt: Viuo ego, nolo mortem peccatoris. Qui au-
1. Ioh. 5. tem non credit Deo, mendacem eum facit. 2. Corinth. 1. Omnes promiſ-
Auguſtin. ſiones DEI ſunt ita & Amen in CHRISTO. Et fidelis eſt Deus, qui ſe
Pſal. 110. noſtrum debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, ſed tanta nobis promittendo: parum erat promiſſio: etiam ſcripto ſe teneri voluit, fecitque nobiſcum chirographum promiſſorum ſuorum: nec ſolum ſcripturam cum hominibus fecit, vt crederent, ſed etiam fidei ſuæ poſuit mediatorem, vnicum Filium ſuum.

II. Proprietas fidei iuſtificantis, quæ eſt ὑπόστασις καὶ πληροφορία, πε-
1. Ioh. 3. ποίθησις, & firma fiducia, ſciens, quòd tranſlati ſimus à morte ad vitam, &
& 5. habeamus vitam æternam, qui credimus in nomen Filij Dei.

III. Vſus ſacramentorum oppoſitus omni dubitationi, & confirmans
1. Pet. 3. certitudinem ſalutis credentium. Hinc baptiſmus eſt ἐπερώτημα ſeu ſtipulatio bonæ conſcientiæ, pellens obiectiones dubitationis. Et in cœna DOMINI confirmatur fides noſtra ſumtione corporis CHRISTI pro nobis traditi, & ſanguinis pro peccatis noſtris effuſi. Et in abſolutione dicit
Matth. 3. CHRISTVS: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et: Fides tua
Luc. 7. te ſaluauit.

IIII. Obſignatio credentium per Spiritum ſanctum, 2. Corinth. 1. Epheſ. 1. & 4. qui eſt arrha & hypotheca, ratificans & confirmans in nobis fidem, quòd ſimus filij Dei. Rom. 8. Galat. 4.

V. Omnium ſanctorum exempla & experientia. Rom. 4. Abraham. Pſal. 30. Non confundar in æternum. Rom. 8. Quis nos ſeparabit à dilectione Dei? In vita & morte es tu mea Chriſte ſalus.

VI. Reprehenſio dubitationis. Matth. 6. & 14. O modicæ fidei. Luc. 12. Nolite μετεωρίζεσθε animo ſuſpenſo & dubio eſſe. Rom. 4. Abraham non hæſitauit. Iacob. 1. Qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur. Syr. 33. ὡς ἐν καταιγίδι πλοῖον tanquam cymba in ſæua tempeſtate, cùm capella oritur menſe Nouembri ortu acronycho, quæ Græcis eſt αἴξ: vnde eſt καταιγὶς procella. Rom. 14. Quidquid non eſt ex fide, peccatum eſt.

Bernhard. Huc pertinet præclara illa Bernhardi concio de triplici funiculo. Tria,
de fragmentis 7. ſer. 5. inquit ille, conſidero, in quibus tota ſpes mea conſiſtit: caritatem adoptionis, veritatem promiſsionis, & poteſtatem redditionis. Murmuret iam quantum voluerit inſipiens cogitatio mea dicens: Quis es tu, aut quanta eſt illa gloria, quibuſue meritis hanc obtinere ſperas? Et ego fiducialiter reſpondeo: Scio, cui credidi, & certus ſum, quia in caritate nimia adoptauit me, quia verax eſt in promiſſione, quia potens eſt in exhibitione. Hic eſt funiculus triplex, qui difficile rumpitur: quem nobis è patria noſtra in hunc carcerem vſque demiſſum firmiter obſecro teneamus, vt ipſe nos ſubleuet, ipſe nos trahat & pertrahat vſque ad conſpectum gloriæ Magni Dei.

Quæ ſunt opponenda tentationibus de prædeſtinatione?

Primò ſciendum eſt, periculoſas cogitationes de arcana prædeſtinatione, eſſe inſidias & inſultus diaboli abducentis nos à reuelata voluntate DEI ad te-

Digitized by Google

ad temeritatem inquirendi alia, de quibus ſcriptum eſt: Scrutator maieſta- Prou.
tis opprimetur à gloria.

Secundò ſicut Eua ſeducta fuit, ita ſeducuntur omnes, qui diabolum hac in re audiunt, & vel in contemtum Dei & verbi eius, vel in deſperationem ruunt, vt exempla etiam noſtra ætate teſtantur. Sic enim anno 1548. Franciſcus Spira deſperauit: & anno 1562. ſcholæ cuiuſdam rector, cùm legiſſet Caluini de prædeſtinatione ſententiam, & inde varia collegiſſet, quæ diabolus ſuggeſtione multiplici auxerat, vitam laqueo finiens die 22. Iulij hoc ſcriptum poſt ſe reliquit: Peccatum in Spiritum ſanctum eſt hominem peccando cum Deo ludere, & ita vndiq; ſententia legis diuinæ conſtrictum teneri, vt, quò euadat, neſciat, ſed ipſe ſeſe reum æternæ damnationis pronunciet, quod mihi miſero nunc accidit, vt æternis damnationibus addictus detrudar ad non finienda tartara. Externa ſanctitate Deum fallere non poſſumus. O me infeliciſsimum omnium, ſatius fuiſſet, me nunquam natum. Certus eſt numerus ſaluandorum. Hoc ex me: ſed quid ad me? hoc ita neceſſariò fieri debuit. Sum ego ex numero damnatorum, & nunquam Deo aſſcribi poſſum, damnatus ab initio. Vado igitur æternum dedecus patriæ, figmentum & vas formatum in ignominiam. Omnium peccatorum me aggreſſa eſt magnitudo, & horror diaboli. Diſcedo ad lacus infernales. Deo vos commendo, cuius miſericordia mihi negata eſt. Occultior autem eſt huius rei cauſa, quàm vt humana ratio perſpicere poſsit, ſicut didici ex libris I. C. &c. Perditiſsimus P. I. ſubſcripſit ipſe.

Tertiò, certum eſt, Deum nuſquam præcepiſſe, vt nos ipſos de electione noſtra ſolicitos & anxios redderemus, ſed velle tantum, vt ſibi audientes ſimus, iuxta illud: Ego ſum Dominus Deus tuus. Syrac. 3. Altiora te ne quæſieris, ſed quæ Deus tibi præcepit, hæc cures. Et Pater ad Filium nos ablegat: Hunc audite.

Quartò: Mens & cor hominis figere pedem debent non in ſpeculationibus aut dubijs diſputationibus, ſed in expreſſo verbo & mandato Dei, Eſai. 8.

Quintò: Maximum Dei mandatum eſt, vt audiamus Filium, in quo ceu ſpeculo immenſum Dei erga nos amorem contemplamur.

Staupitius (inquit Lutherus noſter) me tentatione illa deſperationis laborantem his verbis conſolabatur: Intuere vulnera Chriſti, & ſanguinem pro te fuſum: ex iſtis fulgebit prædeſtinatio. Audiendus igitur eſt Filius Dei, qui miſſus eſt in carnem, & ideò apparuit, vt hoc opus diaboli diſſoluat, & certum te faciat de prædeſtinatione: ideoq; tibi dicit: Tu es ouis mea, quia audis vocem meam: nemo rapiet te ex manibus meis.

Multi qui non ad iſtum modum repugnauerunt tentationi huic, in exitium præcipitati ſunt.

Agnoſce puerum Iesvm, & audi, & delectare in eo, & gratias age. Si hunc habes, tunc etiam Deum abſconditum pariter cum reuelato habes. Et ille eſt vnica via, veritas & vita, extra quam nihil præter exitium & mortem inuenies.

Quando diabolus te cogitationibus iſtis ſiue dubitationibus de prædeſtinatione impugnat, tantum dicas: Credo in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, de quo mihi non eſt dubium, quin ſit incarnatus, paſſus, mortuus pro me, in cuius mortem ego ſum baptizatus. Hoc reſponſo euaneſcet tentatio, & tergum vertet Sathan. Poteris enim pauciſsimis verbis Satanam à te repellere: Vade retrò Satana: Filius Dei venit in hunc mundum, eſt incarnatus, redemit me, ſedet ad dexteram Patris, & eſt meus ſaluator, &c.

Digitized by Google

Satiſfecitne Chriſtus pro omnium hominum peccatis, ſufficienter, & efficaciter?

Quod ad conſilium, & gratiam Dei, & ad meritum Filij attinet, ſufficiens facta eſt redemtio, non verbotenus, ſed efficaciter pro omnibus omnium hominum peccatis vniuerſaliter. Et rationes ſunt manifeſtæ, & immotæ. Prima: Chriſtus ideò ab æterno Patre miſſus eſt in mundum, non vt partem certorum aliquot hominum ſeruaret, ſed vt vniuerſum genus humanum
1. Ioh. 2. redimeret & ſaluaret, ſicut ſcriptum eſt: Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Et:
1. Tim. 1. & 2. Chriſtus venit in mundum, peccatores ſaluos facere. Et: Saluator noſter Deus omnes homines vult ſaluos fieri.

Secunda: Chriſtus potentior eſt Adamo terreſtri. Deus enim & homo eſt. Coniecit autem Adam omnes homines in mortem. Multò magis igitur Chriſtus vniuerſum genus humanum reſtituere vitæ poteſt, qui ipſa vita eſt. Rom. 5.

Tertia: Teſtimonia totius ſcripturæ. Ioh. 1. Tollit peccata mundi. Ioh. 3. Miſit Deus filium ſuum in mundum, non vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Ioh. 4. Saluator mundi. Ioh. 12. Non veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum. 1. Ioh. 2. Chriſtus propitiatio eſt pro totius mundi peccatis. Eſa. 56. Non dicat filius aduenæ adhærens Domino, Dominus ſeparatione diuidet me à populo ſuo, & non dicat eunuchus, ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus, quiſquis tenuerit fœdus meum, lætificabitur, &c. Act. 10. In omni populo.

Quarta ratio eſt officium Chriſti benefacere volentis vniuerſo generi humano, omnibusque & ſingulis hominibus: ideoque dictus Ieſus non ob aliquot tantum homines, ſed propter vniuerſum genus humanum: item Emanuel, Dominus, frater & ſeruator omnium hominum: paſtor non tantum o-
Ezech. 34. ues fœtas & robuſtas fouens, ſed & perditas amiſſasque quærens, errantes reducens, vulneratas obligans & curans, infirmas ſanans, & vocans ad ſe Omnes laborantes & oneratos mole peccatorum & tentationum de prædeſtinatione, & indignitate ſua. His enim vult certitudinem prædeſtinationis in ſe ipſo repoſitæ monſtrare, cor Patris aperire, & eos certos reddere de ſa-
Eſai. 41. lute, vtpote λόγος καὶ ἑρμηνεὺς magnorum & arcanorum conſiliorum Dei, ac Cancellarius & Euangeliſta, imò & ſponſus generis humani ceu ſponſæ, coniugali fide totum humanum genus amplectens.

Quinta ratio eſt inuitatio ſeu vocatio omnium hominum ad agnitionem veritatis Euangelicæ. Marc. 16. Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Vox enim Domini in virtute & magnificentia vbique terrarum audita eſt, cui attendere & obedire debebant homines, populi & nationes omnes: quod cùm non fiat culpâ hominum contemnentium vocem illam, accidit, vt à populo ad populum ſubindè deriuetur, & quaſi tranſmigret puritas doctrinæ cœleſtis, & ingrati deſerantur, & puni-
Amos 8. antur cœcitate & fame verbi, perinde ac fidelis & pius medicus ægrotis omnibus ſuam fidem offert & promittit, curatque omnes conſilio eius obſequentes, & potione, quam ipſe ordinat, ſiue ſuaui ſiue amara vtentes: reſpuentes autem & omne conſilium aſpernantes, in morbo ipſorum relinquit, idque non ſua, ſed ægrotorum culpa.

Sexta ratio eſt promiſsio vniuerſalis. Tenenda enim eſt immota regula: Sicut comminationes ſunt vniuerſales, & ad omnes & ſingulos pertinent, qui Dei verbum & voluntatem violant: ita & promiſsiones ſunt vniuerſales, & ad omnes & ſingulos pertinent, qui Chriſtum medicum agnoſcunt & fide amplectuntur. Et ſicut comminationes non ſunt reſtringendæ, ita nec promiſsiones gratiæ ſunt reſtringendæ, licet determinatæ ſint ad

creden-

credentes verbo ſecundùm ordinem à Deo inſtitutum, quem Chriſtus exprimit, inquiens: Venite ad me omnes. Et Act. 10. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſsionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Rom. 3. Iuſtitia Dei per fidem Chriſti in omnes & ſuper omnes.

Videtur quidem nobis ex euentu & experientia promiſsio gratiæ reſtringenda ad cœtum vocatorum, qui eſt Eccleſia, id eſt, euocatio, quaſi particularis ex vniuerſo hominum agmine ſelectio: ſed hoc ipſum non DEI abſoluto decreto, verùm hominum culpa & factum eſt, & fit etiamnum. Quòd enim ad DEI conſilium attinet, vt neminem condidit ad exitium, ita neminem vult perire, etiamſi totum genus humanum propter peccatum damnare poſſet. Propoſuit igitur poſt hominis lapſum promiſsionem vniuerſalem ad omnes pertinentem: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Ab hac promiſsione diſceſsit Cain cum ſua poſteritate, atque ita facta eſt ſeparatio, & duplex eccleſia, vna Dei, altera Satanæ. Nihilominus tamen multi omnibus temporibus conuerſi fuerunt, & cum vera Dei Eccleſia ſe coniunxerunt, quam DEVS mirabiliter rexit & conſeruauit, & in ea & per eam voluit ſonare & explicari promiſsionem vniuerſalem, vt hæc audiri poſſet ab omnibus hominibus. Sicut etiam ſententia legis diuinæ eſt vniuerſalis, & ad omnes homines pertinet, videlicet: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis: Ita ſententia Euangelij eſt vniuerſalis, imò vniuerſalior & efficacior, & ad omnes homines pertinet, videlicet: Omnis, qui credit in Filium, habeat vitam æternam. Sicut autem ex vniuerſali legis ſententia nemo excipitur, niſi qui confugit ad Filium mediatorem: ita ex vniuerſali ſententia & promiſsione Euangelij nemo excipitur, niſi qui non confugit ad Filium. Et ſicut vniuerſalis ſententia legis videtur quodammodò fieri particularis, eò quòd indè excipiantur omnes credentes in Filium: idq; ſolius DEI gratia & bonitate: Ita vniuerſalis promiſsio gratiæ videtur fieri particularis, eò quòd indè excipiantur omnes increduli & impœnitentes: idq; culpa & vitio hominum, & iuſto DEI iudicio damnantis omnes non oſculantes Filium, quorum cùm maxima pars ſit, imputet mundus hoc ſibi morem gerenti ſuggeſtionibus diaboli. Vt enim vniuerſalis eſt concio & gratiæ promiſsio: Qui credit in Filium, habet vitam æternam: ita & vniuerſalis eſt hæc aduerſatiua & per antitheſin ac conſequentiam extructa concio: Qui non credit in Filium, manet ira Dei ſuper eum, & iam iudicatus eſt.

Septima ratio. In Eccleſia verbum Euangelij annunciatur pijs & impijs, id eſt, omnibus hominibus ſine diſcrimine. In Cœna etiam datur corpus CHRISTI, & ſanguis CHRISTI dignis & indignis, pijs & impijs credentibus, & hypocritis. Corpus enim Chriſti pro omnibus hominibus traditum eſt, & ſanguis Chriſti pro omnium hominum peccatis effuſus eſt. Et hinc dicitur: Sumit vnus, ſumunt mille, quantum iſti, tantum ille, nec ſumtus abſumitur: Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitus: Mors eſt malis, vita bonis: vide paris ſumtionis quàm ſit diſpar exitus.

Octaua ratio eſt vniuerſalis reſurrectio mortuorum omnium impetrata & effecta à Chriſto. 1. Cor. 15. Et hæc ratio prorſus immota demonſtratio eſt, oſtendens, meritum Chriſti ad omnes pertinere, & efficax eſſe vniuerſaliter, efficaciâ vna ad vitam & ſalutem credentium omnium, & efficaciâ altera per antitheſin, nempe ad mortem & damnationem omnium ſatisfactionem & meritum Chriſti aſpernantium, ſeu impœnitentium: vnde Paulus 2. Cor. 2. ſe & miniſterium Euangelij, odorem mortis in mortem, & pijs o-

Digitized by Google

dorem vitæ in vitam nominat. Semper enim efficax eſt Chriſtus, vel ad vitam credentium ex gratia, vel ad iudicium, ſecundùm dictum: Qui non credit, iam iudicatus eſt. Et cùm Chriſtus dicat, ſe non veniſſe, vt iudicaret mundum, manifeſtè oſtendit, ſuam voluntatem non eſſe, vt quiſquam pereat, ſed homines iudicari & damnari propria ſua culpa, & quidem non originali ſimpliciter, cui malo Chriſtus mederi poteſt & vult, ſed vitio incredu-
Ioh. 16. litatis, quia, inquit, non credunt in me. Et quòd velit Chriſtus omnes ſaluos, teſtatur efficacia reſurrectionis ipſius, quæ facit, vt omnes & ſinguli homines ſint reſurrecturi à mortuis. Reſurrectio enim corporis Chriſti, corporum noſtrorum reſurrectionem efficit, & certam reddit. Reſurrexit
Rom. 4. autem Chriſtus ad iuſtitiam noſtram. Hanc obtinent, quicunque fide in Chriſtum muniti ſunt: qua deſtituti, quamuis reſurrecturi ſint, tamen iuſtitiam illam cùm non habeant, quæ fructus eſt reſurrectionis Chriſti, iniuſti ſunt, ideoq́ reſurgunt ad iudicium damnationis, ſuamet propria culpa.

An non fides eſt donum & opus Dei peculiare? Cur igitur vni illud datur, alteri non datur?

Supra reſponſum eſt ad hanc quæſtionem. Summa autem hæc eſt: Fides eſt opus & donum Dei, quia non eſt noſtri operis aut meriti, aut voluntatis noſtræ, conſequi iuſtitiam & ſalutem, ſed eſt ſolius Dei gratia, actio, efficacia, & meritum Chriſti. Datur autem fides non immediatè, ſed per verbum & vſum ſacramentorum ſecundùm ordinem à DEO inſtitutum. Non verò datur fides non audientibus verbum, hypocritis, ſecuris, impœnitentibus, contemptoribus miniſterij, & epicuræis, aut hoſtibus verbi, lucem & crucem perſequentibus.

Hæc magna piorum conſolatio eſt, & confirmatio de ſalute, quando ſciunt, non à natura, ratione, carne, aſſenſu, voluntate, opere, aut proprio merito, nec ab vlla creatura alia fidem, iuſtitiam, vitam, & ſalutem pendere, ſed eſſe opus & donum Dei omnipotentis. Certi igitur ſunt de promiſsione, vita, & ſalute, & ſemper conſiderant dulciſsima verba: Non eſt voluntas Patris, vt pereat vnus de puſillis iſtis.

Cur fides ſit opus Dei, quomodo homo certus eſſe poteſt, quòd habeat fidem?

Voluntas hominis, imaginatio, ſpeculatio, perſuaſio, opinio & præſum-
Rom. 1. tio, nullum hîc locum habent. Sed audiendum eſt verbum Euangelij, quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Hoc verbum fide nobis applicandum eſt. Examinandum igitur eſt cor noſtrum, an libenter velimus verbo credere, & id nobis applicare, ſi modò poſsimus. Si cor reſpondet, & ingemiſcit, libentiſsimè ſe credere velle, ſed non poſſe ſuis viribus, iam ſalua res. Statim enim hæc in mentem, Spiritu ſancto duce & doctore, veniunt: I. fides Dei opus & donum eſt: nos verò non ſumus idonei ne cogitare quidem ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. II. excitatur oratio cordis directa ad Deum, vt ipſe accendat Spiritu ſuo fidem in nobis, eamq́ augeat. Hæc precatio iam fidei præſentis teſtimonium & effectus eſt. III. accedit voluntas, & deſiderium fidei ſubindè creſcentis: Hæc voluntas eſt fidei
Philip. 2. certiſsimus comes, ſecundùm illud: DEVS operatur in vobis, & velle & perficere. Et quoties pij vel ſcintillulam alicuius fidei & conſolationis ſentiunt, ſtatim infallibile τεκμήριον habent, DEVM eſſe efficacem, ſe eſſe in gratia, & ſaluari. IIII. fundamentum fidei conſideratur, quod eſt meritum Chriſti, in quo fundata eſt fides, non in quantitate aut qualitate, dignitate & virtute ſua, aut in ſenſu hominis, ſed in obedientia, & ſanguine Chriſti, ſeu in obiecto, quod fides intuetur, & apprehendit, ac homini applicat, & quod vnum & idem eſt obiectum Samſoni robuſto, & Samueli puero.

V. Etſi

Digitized by Google

V. Etſi fides videatur prorſus infirma, tamen humilis precatio continuanda eſt, Marci 9. Credo DOMINE, ſed opem fer meæ incredulitati. DOMINE auge nobis fidem: ſalua nos, perimus, &c. Rom. 8. Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram, & interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & teſtimonium dat noſtro ſpiritui, quòd ſimus filij Dei. VI. Tenenda eſt promiſsio paterna. Matth. 12. Arundinem quaſſatam Dominus IESVS non confringet, & linum fumigans non extinguet. VII. Hoc modo pergendum eſt in exercitijs fidei & pœnitentiæ, inuocatione, patientia, ſpe, & ſtudio pietatis, quantum Deus nobis Spiritui ſancto ſuo, cuius templa & domicilia ſumus, dederit, audiendo verbum, vtendo ſacramentis, colloquendo cum pijs de rebus pijs, & ex propoſito non offendendo, multò minus irritando Deum, neminemq́ ſcienter lædendo. Velle eſſe iuſtum, ſumma eſt iuſtitia, dixerunt maiores noſtri. Hoc veriſsimum eſt in ijs, qui fidei & bonæ conſcientiæ cuſtodes eſſe ſtudent. Atque hæc infallibilia fidei veræ argumenta ſunt, ad quæ accedit odium errorum manifeſtorum, blaſphemiarum, ſcandalorum, ſcelerum, & ſermonum impiorum. Qui enim veræ fidei ſtudioſi ſunt, ij aduerſa & contraria illi ferre non poſſunt, ſed contradicunt erroribus, & auerſantur impios ſermones, nec patiuntur DEVM contumelia & ignominia affici, & fidei certitudinem lædi. Exempli cauſa in hoc ipſo argumento, ſi quis dicit, Deum prohibere quidem peccatum, & tamen voluiſſe peccatum primorum parentum, & adhuc velle peccata, eaq́ ita ordinare, is Deum blaſphemat, & affingit ei vt tyranno iniuſto, & crudeli contradictorias voluntates, qui prohibeat id, quod tamen velit, & puniat nos ob illud, quod ipſe ordinarit & effecerit. Has & ſimiles in DEVM contumelias mens pia verè credens auerſatur & odit. Item, ſi quis fidem noſtram veram, conatur reddere dubiam & incertam, & de prædeſtinatione extra Chriſtum diſputat, & quærit, is à pia mente non auditur, ſed vitatur potius & reijcitur.

Cur Chriſtus dicit: Vobis datum eſt noſſe miſteria regni, cæteris in parabolis, vt audientes non intelligant, &c.? Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8.

Hoc dictum Chriſti bimembre eſt. Prius membrum ad Chriſti diſcipulos pertinet, qui non obiter audiunt verba Chriſti, ſed quærunt ex Chriſto de ſententia parabolarum, & ſunt ſtudioſi verbi. His igitur Chriſtus vt fidelis præceptor reſpondet, & aperit ſuam mentem, & ſcripturæ ſententiam, ſicut Lydiæ purpurariæ aperitur cor, vt intendat ijs, quæ dicuntur à Paulo. Act. 16. Poſterius membrum loquitur de auditoribus ſegnibus, non ſcrutantibus ſcripturam, non quærentibus, non inuocantibus Chriſtum, non petentibus Spiritum ſanctum, non ſtudioſis veritatis, ſed negligentibus & contemnentibus ea, quæ dicuntur. Pœna igitur negligentiæ & ſocordiæ eſt ruditas & ignorantia cœleſtium myſteriorum. Et tota concio Chriſti, Matth. 13. eſt de induratione & excæcatione auditorum non amplectentium doctrinam Euangelij, ſed ſurdorum, id eſt, non accipientium, non conſiderantium, multò minus intelligentium ea, quæ Chriſtus dicit. Ideò inquit diſcipulis: Vobis, qui verbum meum auditis, & me docente proficere cupitis, datum eſt intelligere euangelium non natura notum, nec ex ratione, aut philoſophia humana ortum, ſed per me ſolum ex arcano Patris ſinu prolatum. Contemnentibus autem meam doctrinam, Phariſæis, ſapientibus mundi, & ſecuris, ſeu hypocritis, non eſt datum. Quiſquis enim habet, id eſt, audit, amat, cogitat, expendit, & retinet verbum meum, illi dabitur, & abundabit, hoc eſt, ſubindè accendetur & creſcet in eo maior agnitionis Dei lux & fides. Qui autem non habet, id eſt, qui non tenetur amore & ſtudio audiendi & conſiderandi quæ dico, ab eo, etiam quod habet, ſeu quod habere ſe putat, auferetur.

Deſti-

Digitized by Google

Deſtitutus enim fidei veræ initijs, eaq; contemnens, deſeritur à Deo, atque ita punitur cœcitate, & fit deterior, idq; ſua ipſiuſmet culpa, ſecundùm dictum Eſaiæ 6. Doctrina enim neq; per ſe nec ſua natura eſt cauſa cœcitatis, ſicut nec Sol eſt cauſa, quòd oculi luſcioſorum magis hebetantur conuerſi ad Solem. Verba autem Eſaiæ hæc ſunt: Audite audiendo, & ne intelligatis, & videte videndo, & ne cognoſcatis: Impingua cor populi huius, & aures eius aggraua, & obline oculos eius, ne fortè † videat in oculis ſuis, & in auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum. Hæc verba à Viro Theodoro, ſanctæ memoriæ Viro enarrata ſunt ſimplicisſimè hoc modo: Durum hoc mandatum non eſt ita accipiendum, quaſi DEVS Iudæis ſalutem inuideat, cùm tamen Chriſtus ipſe, Iohannes & Apoſtoli Iudæis Euangelium ad multos annos annunciarint in hunc finem, vt crederent, & ſaluarentur. Et ſcriptura euidenter teſtatur, Deum velle omnium hominum ſalutem, & ſic dilexiſſe mundum, vt dederit ei Filium, in quem crederet, & ſaluaretur. At diabolus hîc ſe interponit, incitans & impellens corda contra verbum, & eripiens eis verbum, cumq; corda hominum facilè & leuiter à diabolo moueantur, obtemperant ei, quemadmodum Eua in paradiſo. Quando igitur homines verbum contemnunt, non ſuſcipere, nec fide amplecti volunt, ſe ipſos volentes in tenebras conijciunt, & lucem auerſantur. Hinc eos indurari, & excæcari neceſſe eſt, non à Deo, ſed à propria ſua voluntate mala, & à diabolo. Quia autem Deus huic pœnæ locum relinquit, & homines vi trahere & cogere non vult, ideò ſcriptura ita loquitur, quaſi Deus eos excæcet, cùm tamen DEVS nihil ampliùs faciat, quàm vt eos in cœcitate ſecundùm deſiderium cordis ipſorum relinquat, & arbitrio ſuo ferri ſinat. Hinc fieri oportet, vt ſubindè reddantur cœciores, incertiores, peiores & inſaniores, vt exempla Iudæorum & Pontificiorum teſtantur. Hæc ille. Verba etiam hæc, Ne fortè videant, conuertantur & ſanentur, non ſunt intelligenda, quaſi Deus pœnitentes reijciat, & in gratiam recipere nolit, ſed ſunt verba Dei irati, & de malo pœnæ accipienda ſunt, perindè ac pater iuſtis de cauſis exhæredans ſobolem extremè contumacem & degenerantem inquit, ego odi illam, & ita abalienaui à me, vt non auſit reuerti ad me, nec vllam ſpem habeat reconciliationis & hæreditatis, cùm nulla ſpes ſit de emendatione ipſius.

† id quod fieret, vt ſcilicet ſaluarentur, ſi me audirent. Sunt enim hæc verba indignantis Dei, & nihil dicentis aliud, quàm meritò puniri impios, qui Dei gratiam reſpuunt.

Matth. 20.

Cur Chriſtus dicit multos eſſe vocatos, & paucos electos?

Hæc non eſt contradictio, aut ſententia talis, quaſi DEVS vocet eos, quos tamen nolit eſſe in numero electorum, ſed damnatos velit. Deus enim non aliter loquitur, & aliter ſentit, ſed vult prædicari omnibus pœnitentiam, & promitti remisſionem peccatorum vniuerſaliter. Quòd autem multi vocati ſint & pauci electi, cauſa exponitur, Act. 13. Repellitis verbum Dei, & facitis vos indignos æterna vita. Et Act. 7. ſemper reſiſtitis Spiritui ſancto. Oſtendit igitur Deus, velle ſe audiri verbum Filij, per quod Spiritus ſanctus vult efficax eſſe, & largiri vires credendi & conſeruandi verbum. Qui autem nec audiunt, nec curant verbum, ſed contemnunt, nauci faciunt, & ei ſe opponunt, ij licet ſint in vocatorum numero, tamen electi non ſunt. Huius rei cauſa eſt non diuina electio (quæ à priori conſiderata, quod ad abſolutam DEI voluntatem & gratiam attinet, æquè vniuerſalis eſt, ac promisſio & vocatio) ſed hominis à Deo auerſa & peruerſa voluntas, quæ operationem Spiritus ſancti, qua per verbum vult efficax eſſe, deſtinata malitia non vult admittere aut ſuſtinere, ſed petulanter reſiſtendo, obſtinatè eam repellit, & excutit. Pauci ergò ſunt electi, ſcilicet finaliter, & à poſte-

Marc. 16.

riori,

riori, ſeu ab euentu, ex malitia & culpa hominum. Atque hæc vſitata eſt reſponſio ad dictum Chriſti. Sed grammaticam & ſimplicem ſententiam oſtendit contextus parabolæ. ἐκλεκτὸς enim electum, ſincerumq́ ſignificat, ſicut dicimus electum aurum. Multi ſunt in vinea vocati, ſed pauci ſunt electi, ſinceri, & fideles: pauci fideliter laborant. Hæc ſimpliciſsima & vera eſt ſententia.

Poſſunt ne electi rurſum excidere gratia & ſalute?

Poſſunt. Teſtimonia ſcripturæ ſunt in promtu. Exod. 32. Qui peccauerit aduerſum me, eum delebo de libro meo. Et Pſal. 69. Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. Sic Saul tandem perijt. Sic Ezech. 18. Dauid per homicidium & adulterium excuſsit gratiam & Spiritum ſanctum, & periiſſet, niſi conuerſus fuiſſet. Et Chriſtus inquit, ſpiritum impu- Luc. 11. rum ſemel ejectum, redire cum alijs ſeptem ſpiritibus, & facere poſteriora peiora prioribus. Vnde Paulus ait: Qui ſtat, videat, ne cadat. Videmus etiam multos, qui bene cœperant, rurſum prolapſos deſciſcere, deficere, fieri apoſtatas, & ex gratia Dei excidere. Huius autem defectionis cauſa non eſt Dei electio, ſed hominum propria voluntas & leuitas, qua ſe à ſancto 2. Pet. 2. mandato auertunt, ſpiritum gratiæ contumelia afficiunt, exacerbant, & ex- Ebre. 10. Eſai. 63. cutiunt, & denuò domum diabolo adornant. 1. Sam. 16.

Etſi autem Deus libenter dat gratiam & donum perſeuerandi, & fidelis Luc. 11. eſt, ac quod cœpit in nobis opus bonum, perficit vſque in diem Ieſu Chriſti, 1. Cor. 1. Philip. 1. & confirmat ac ſolidat nos, ſupponitq́ manum ſuam nobis, ne, ſi ceciderimus, collidamur: tamen hæc promiſsio non eſt accipienda de ijs, qui contra 1. Pet. 5. Pſal. 37. conſcientiam in errores & ſcelera ruunt, & in peccatis ſine pœnitentia perſeuerant. Immutabilis enim, conſtans, & perpetua hæc Dei voluntas eſt, vt omnes agentes pœnitentiam & credentes Euangelio ſaluentur. Hoc donum Dei eſt ἀμεταμέλητον. Econtrà verò immutabilis ſententia Dei eſt, vt om- Rom. 11. nes impœnitentes & increduli damnentur.

Quis eſt vſus doctrinæ de prædeſtinatione?

I. Confirmatur doctrina de gratuita iuſtificatione fidei ſine operibus & meritis noſtris, tantum propter Chriſtum. Rom. 9. 2. Tim. 1. Liberauit nos, & vocauit vocatione ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu, ante tempora ſecularia.

II. Falſa doctrina de liberi arbitrij viribus, in rebus & actionibus ſpiritualibus refutatur & deſtruitur. Cùm enim 1. Deus ante mundi tempora decreuerit omnia, quæ ad conuerſionem & ſalutem noſtram pertinent, 2. eaq́ propter ſolum Chriſtum, ſine noſtris operibus in nos conferat, 3. & per Spiritum ſanctum ſuum eadem in nobis operari & efficere velit, 4. ac homo poſt lapſum ſibi relictus, nihil ſit, niſi inimicitia aduerſus Deum: actum eſt de viribus & conatibus arbitrij liberi non liberati.

III. Conſolatio maxima in animis piorum excitatur, cogitantium, Deo curæ fuiſſe noſtram ſaluationem, ante mundi conſtitutionem.

IIII. Certitudo fidei noſtræ & ſalutis noſtræ illuceſcit & dulceſcit in ſolius Chriſti potentiſsima manu, & fundamento firmiſsimo & inuicto, non in noſtris manibus.

V. Omnis crux & adflictio noſtra redditur nobis ſalutaris, vtilis, & commoda, & exitum habet ordinatum à Deo, quo nos conformes facit imagini Filij ſui.

VI. Studium pietatis & bonæ conſcientiæ exuſcitatur, & vitantur errores & ſcelera, ac petitur à Deo donum humilitatis, patientiæ, modeſtiæ, & conſtantiæ in veritate.

Theſes

Digitized by Google

Theſes de Prædeſtinatione & Electione Dei.

I.

MAgnam pijs conſolationem adfert doctrina de prædeſtinatione, ſi rectè explicatur ſecundùm normam verbi diuini.

II. Initiò autem accuratè obſeruandum eſt diſcrimen inter præſcientiam & prædeſtinationem.

Pſal. 139. Eſai. 37. Match. 10. III. Præſcientia ſeu præuiſio Dei nihil aliud eſt, quàm quòd Deus omnia nouit, antequam fiant.

IIII. Hæc præſcientia ad omnes creaturas & res, tam malas, quàm bonas extenditur.

Oſe. 13. Pſal. 5. V. Non tamen eſt cauſa vel mali, vel peccati originem trahentis ex diabolo & hominis praua voluntate, vel interitus imputandi ipſis hominibus.

VI. Verùm diſponit malum, & metas illi conſtituit, quò vſque progredi debeat, idq́ eò dirigit, vt licet per ſe malum ſit, nihilominus tamen electis Dei ad bonum & ad ſalutem cedat.

VII. Prædeſtinatio verò, ſeu æterna DEI electio pertinet tantum ad bonos, & dilectos filios Dei, & eſt cauſa ipſorum ſalutis, quam DEVS propter Filium mediatorem ex gratia ab æterno, credentibus procurat, & ad eam pertinentia diſponit.

VIII. Hæc Dei prædeſtinatio non eſt ſcrutanda inter arcana Dei decreta, ſed reuelata in verbo Dei quærenda eſt.

IX. Verbum autem DEI deducit nos ad Chriſtum, vnicum vitæ librum, in quo omnes ſaluandi electi & inſcripti ſunt. Epheſ. 1. 2. Tim. 1.

Matth. 11. Luc. 24. X. Chriſtus verò omnes peccatores 1. ad ſe vocat. 2. & promittit illis leuationem. 3. ac ſeriò vult, vt omnes & ſinguli homines ad ſe veniant, & requiem animabus ſuis inueniant. 4. & ſe redemtorem in verbo Euangelij offert. 5. ac vult, vt verbum audiatur & aures non obturentur, nec verbum negligatur. 6. promittit etiam ſe largiturum virtutem & operationem Spiritus ſancti, & auxilium diuinum ad conſtantiam & æternam ſalutem.

XI. Quapropter de noſtra electione ad vitam æternam neq́ ex rationis noſtræ iudicio, neq́ ex lege iudicandum eſt, ne vel diſſolutæ & Epicureæ vitæ nos tradamus, nec in deſperationem ruamus.

XII. Vera autem ſententia de prædeſtinatione ex Euangelio Chriſti diſcenda eſt.

XIII. Iis etiam doctrina hæc ſalutaris eſt, & maximam adfert conſolationem, qui voluntatem Dei reuelatam inquirunt, eoq́ ordine progrediuntur, quem Paulus in epiſtola ad Romanos ſecutus, hominem ad agnitionem peccatorum, fidem in Chriſtum, & nouam obedientiam prius, quàm ad æternæ prædeſtinationis myſterium, deducit.

Multi vocati, pauci electi. XIIII. Damnationis autem impiorum cauſa eſt non DEVS, aut electio, ſed malitia ipſorum, quòd verbum DEI aut prorſus non audiunt, ſed contumaciter contemnunt, aures obturant, cor indurant, & hoc modo viam Spiritui ſancto quaſi præcludunt, ne opus ſuum in eis efficere poſſit, vel velit, aut certè quòd verbum auditum flocci pendunt atq́ abijciunt.

Matth. 22. & 23. Apoſtatæ. Luc. 11. 2. Pet. 2. XV. Ex his apparet, quomodo homo pius in meditatione articuli de æterna Dei prædeſtinatione tutò progredi poſſit & debeat ſecundùm verbum Dei, quod proponit nobis Chriſtum librum vitæ, nobis per prædicationem Euangelij aperiendum & euoluendum.

XVI. In

XVI. In Chriſto enim electio æterna Dei Patris repoſita & quærenda eſt, qui in æterno ſuo conſilio nobis reuelato decreuit, quòd neminem ſaluum facere velit, præter agnoſcentes filium Eius Saluatorem [illegible], vt verè credentes in eum.

XVII. Quæ contra hanc doctrinam breuiter expoſitam diſputationes mouentur, & cogitationes obrepunt, eæ vanæ ſunt, & excutiendæ, cùm non à Deo proficiſcantur, ſed ex afflatu Satanæ conantis dulciſsimam conſolationem vel eneruare vel penitus tollere, conſolationem inquam hauriendam ex hac ſaluberrima doctrina, qua ſcimus, quòd gratis electi ſumus, & nemo nos ex manibus Dei rapere poſsit, quemadmodum non nudis tantum verbis ipſe promiſit, ſed etiam iuramento confirmauit, & ſacramentis obſignauit: quorum in tentationibus meminerimus ad conſolationem inde confirmandam, & ad extinguenda ignita diaboli tela.

XVIII. Summo ſtudio laborandum etiam in eo eſt, vt ad voluntatem Dei vitam noſtram inſtituamus, noſtramq́ vocationem firmam faciamus, & inprimis verbum nobis reuelatum ſemper in corde & conſpectu habeamus, & ne latum quidem vnguem ab eo recedamus.

XIX. Hæc breuis, vera & neceſſaria explicatio æternæ electionis diuinæ, honorem Deo plenè tribuit, quòd ipſe nos ſaluos faciat ex mera miſericordia, ſine vllo noſtro merito, ſecundum voluntatis ſuæ propoſitum: & non præbet anſam vel puſillanimitati & dubitationi erroneæ, vel Epicuriſmo.

XX. Nunc igitur facilè agnoſci, iudicari & vitari poſſunt falſa dogmata de prædeſtinatione, qualia ſunt:

1. Devm nolle omnes homines pœnitentiam agere, conuerti, & credere Euangelio.

2. Devm nos ad ſe vocando, non ſeriò velle, vt omnes homines veniant.

3. Deum non velle omnes ſaluari.

4. Deum quoſdam non ratione peccatorum & incredulitatis ipſorum, verùm ſuo ſolius conſilio, propoſito & voluntate ad exitium ita, vt prorſus ſalutem conſequi non poſsint, deſtinaſſe.

5. Electionis diuinæ cauſam eſſe non ſolam Chriſti miſericordiam, & ſanctiſsimum Chriſti meritum, ſed etiam in nobis ipſis aliquam electionis diuinæ cauſam eſſe.

XXI. Vberiorem huius doctrinæ explicationem ſtudioſi doctrinæ in declaratione controuerſorum aliquot articulorum inſerta libro Confeſſionis Auguſtanæ ſeu Chriſtianæ inter orthodoxos Concordiæ quærant. Hîc enim nudam ſummam breuiter repetere voluimus.

XXII. Filius Dei, in quo omnes, qui credimus in eum, prædeſtinati, & ad vitam æternam electi ſumus, conſtantes nos in vera fide & ſtudio pietatis & bonæ conſcientiæ, vſque ad finem conſeruet, ac in æternum nos, quos precioſo ſanguine ſuo redemit, ſaluos faciat. Amen.